JOSEPHI PASCHALIS CYRILLI

CONSUMMATISSIMI J. C.

ET IN REGIA NEAP. ACADEMIA
PRIMARII ANTECESSORIS

OPUSCULA VARII ARGUMENTI

POEMATA ITEM VARIA

Quum latine, tum italice scripta
Collegit, ac in lucem edidit

FRANCISCUS LEGGIUS

PRAESES TRIBUNALIS CIVILIS
Secundae Calabriae ulterioris.

Excudebat Vincentius Ursinus
NEAPOLI ANNO MDCCCXXIII.
Publica auctoritate.

EXCELLENTISSIMO MARCHIONI

Et viro amplissimo clarissimoque

DONATO TOMMASIO

Regis FERD. I. ab intimis consiliis, et secretis.

FRANCISCUS LEGGIUS

PERPETUAM FELICITATEM.

QUod jamdiu destino, et debeo facere, ut publicam obsequentis animi significationem, testemque perpetuum Tibi nuncuparem, id nunc efficiendi occasio nata videbatur. Edebam Opuscula varii argumenti, Poemata item varia, quum latine, tum italice,

scripta a Josepho Paschali Cyrillo summo ejus aetatis Jurisconsulto. Ea sive typis excussa, sive adhuc inedita, pluribus abhinc annis ostiatim colligimus, componimus, edimus, et ad tuae dignitatis aram datum, dicatumque imus. Grata, ut spero, habebis; hominem enim desideratissimum redivivum sistunt, qui velut

effictus ex Jove ramus

universe admirationem sui concitavit. Continent porro, quae viros civilis doctrinae, eloquentiae, antiquitatis, poeseos, et reliquae eruditionis peritos oblectare possunt. Si quid ab re publ. ocii, ut in manus aliquando sumus, aut subsecivis temporibus, quandocumque incurrerint, rejicias legenda, sic rem se habere, plane reperies. Scio quae negotia Te circumstent, implicent, et invitum saepe etiam abripiant, sed imitare Achillem, quem inter media arma citharam ajunt, ac fides interposuisse, et animum aegrum cura, et offensa recreasse.

Eadem vero Tibi inscribendi caussam habui triplicem. Prior est, quia ea mihi de Te opinio altissime insedit, quam tua Tibi virtus in gerenda re publ., atque administranda justitia peperit apud omnes, et

quam nec ventura silebunt
Lustra, nec ignota rapiet sub nube vetustas.

Cetera tacitus omitto praeter votum, illius Momi exemplum sequutus, qui cum Venerem carpere non posset, sandalium ejus obtrectavit. Tui sane una, et verissima laus est, ex vero nec velle, nec posse laudari. Caussa altera est, quia sicut clara signa Praetoriis aedibus, villis appendimus contra vim, aut proterviam; sic nomina haec sacra contra calumniam, aut livorem. Tertia tandem est, quia benivolentiae tuae fontem a quinquennio mihi non iterasti solum, sed frontem etiam reclusisti eo vinclo, et nexu, quem profiteri magis, quam solvere possim. Hinc illud a Te per ingenium tuum, perque studia litterarum, quae colis, quibusque faves, enixe contendo, ut inscriptionem hanc libenter accipias, et instar doni pendere patiaris in famae tuae Templo. Id si grato animo facies, et Te pro singulari humanitate tua facturum esse confido, uberrimum operae meae fructum tulisse me dicam. Sic mihi omnia vertant bene. Sic Te Deus Familiae tuae, litteris, justitiae, ac Regi Optimo diu incolumem servet. Vale.

Catacii Eid. Octob. Ann. MDCCCXXIII.

AD LECTOREM

FRANCISCUS LEGGIUS.

Saepenumero cogitandi mihi subiit mirari quid sit, quod mali quidam feriati homines summis laudibus extulerint eximia doctorum virorum opera; flocci vero ipsorum Opuscula fecerint, ac pro nihilo sane putarint. At ohe quam longe ii a sensu veritatis aberrant! Ut enim Colossi magnitudo vel in brevi vestigio se ostendit, sic ingenium, et doctrina etiam in tenui, et extemporaneo scripto. Facile nobis est è fimbrii de veste judicare. Veterani venatores ab ungue leonem, cervum ex impresso signo, è linea artifices artificem dinoverint; ego ex scriptiuncula virum. Sane doctorum hominum non conspicua tantummodo opera, verum etiam lusus exprimere, ut aliorum exemplo Plinius ait, laudabile negotium puto. Aulus quidem Gellius Scriptor ille eruditissimus magnum è *noctibus* suis vere candidis honorem sibi paravit. *Miscellanea* quoque doctissimum esse prodiderunt Angelum Politianum, illum omnis politioris litteraturae consultissimum hominem, quorum editio ut Franciscum Puccium laudatissimum virum, omniumque disciplinarum genere praeditum delectavit quamplurium; sic certe etiam commovit, ac non pariter itidem pupugit. At nae stultus, et pervicax ego, qui velim magna modis tenuare parvis. Ne valeam, si ita velim. In his tamen lusibus litterati homines delectantur novitate ipsa rerum, et varietate non illepida lectionis. Quoad me in lucubrationibus istis, quae in manibus paucorum versabantur, ne plane interirent, et communis utilitatis, ac voluptatis caussa, in unum quasi, et uniforme corpus colliggendis utinam profiteri possim, me tam utilem, quam diligentem operam insumpsisse! Esset caussaa, cur et me laboris hujus minus paeniteret, et tu item fructum aliquem industriae meae capere posses.

Josephus Paschalis Cyrillus, cujus castissimis penetralibus a puero innutritus velut astro inclinante ivi in amorem ejus, et laudem, nonnullis excultis operibus conscribendis operam dedit, quae publica jam luce perfruuntur. Is, ut fieri plerumque solet, Opuscula etiam nonnulla reliquit, oblatis argumentis, aut quaesitis, quorum aliqua vel hominum injuria abstulit, vel tarda vetustas nobis invidit. Quae ex illis ad nos pervenerunt sunt sane praestantissima, quorum editionem vulgo urgebant, ac vovebant cum fructu, et bono publico parandam, et quorum age flores aliquos inspice, quos breviter attingam.

Distin-

Distinguntur autem illi classe triplici: Orationum: Dissertationum; utrasque quum latine, tum italice scriptas intelligo: Poeseos. Et en primam adgredior classem, Orationes inventione faecundas, ordine dispositas, verbis, figurisque politas, numeris rotundas, membris, et periodis suis plenas, atque uno verbo magno oratore equidem dignas.

In limine autem statim occurrit non injucunda laudatio funebris Cajetani Argentii Patricii Consentini, in R. C. Consilio Regentis, tum in S. R. C. Praesidis. Vigesimum vix tunc Cyrillus attigerat annum, cum ille non sine magno suorum luctu, amicorum tristitia, Patriae maerore, omnium denique intertrimento supremum diem expleverat. Motus hinc è pietatis, et grati potissimum animi significatione in laudatissimi viri Annibalis Marchisii Academia, *doctae nutrice inclyta turbae*, in qua τυ ακχηιτυ sui desiderium, non more, sed maerore parentalia peragebantur, Argentium habita non enervi latina oratione, laudavit. In ea est pompam orationis, aut verborum phaleras, et pictae tentoria linguae inspicere, ut valde alienus a gratiis omnibus sit, cui non funebris isthaec oratio grata.

Orationem hanc excipit altera, quam habuit vigesimum primum vix natus annum, cum Civilium Institutionum libros publice interpretandos adgrederetur apud longum Professorum, ac litteratorum hominum ordinem, hac proposita ad exercitationem dicendi materia. *Juris Civilis studium esse cum litteris humanioribus conjunctum*. Oh pulchrum pulchri juvenilis ejus ingenii faetum! Tria sunt, quae hominum tinctum humanitatis, et doctrinae notis delectant: *Verba*, *Res*, *Tractatus*. *Verba* selecta, propria, significantia. Stylus quum latinus, et castus, tum vero elegantem quamdam prae se indolem ferens; elaboratus, inlaboratoque similis, hoc est ita latenter, ac dissimulanter cultus, ut in eo se forma, non cultus ostentet. Facilis idem, profluens, numerosus, non anxie, non moleste diligens, magisque similis negligenti. *Res*, quae Jurisprudentiae comparandae maxime interest; et quam jamdiu Gorgias apud Platonem, et posterioribus etiam temporibus Tullius, Quinctilianus, aliique docuere; nimirum, ut cupientem pro dignitate fungi legali disciplina minime lateat, quantum latinus sermo sit ejusdem facultatis propago, et quantum Juris Civilis studium sit cum litteris humanioribus conjunctum: Cum enim Jurisconsultorum fragmenta non ex vulgari consuetudine, sed ex intima, atque arcana latinitate repetitis abundent, quis non intelligit, quam non facile Jurisprudentia sine abstrusa romani sermonis cognitione consistat? Tantus porro ubique

que

que vigor, et calor est (ut de *Tractatu* nunc addam) sic omnia animata, et spirantia, ut excitari vel ignava, et jacentia ingenia necesse sit, et tepida, ac frigida calere.

Proxime accedit altera Oratio, quam habuit natus annos XXVIII. pro solemni Studiorum instauratione, et qua maxime rejecit eos, qui cum toti sint, aut in re familiari amplificanda, aut per luxum, et nequitiam disperdenda, bonis litteris irascuntur, hominesque earum cultores tamquam in Republica otiosos derident, ac pene labem, perniciemque Civitatis appellant. Quod ut vere, ac feliciter adsequatur, ostendit, quantum habeat Respublica a litteris adjumenti, quam bene omnes itae ad publicam utilitatem conspirent, et quam difficile sit, earum praesidio destitutam diu ac tuto stare posse Rempublicam, itaut blatterones ii, quod litteras e Republica ejici velint, Reipublicae fundamenta convellant.

Sequuntur Dissertationes *de uxoris in manum viri conventione: de servitute ex contractu: de confarreatione, coemptione, usu*, quae secunda classe continentur. In prima varias uxorum formas, nonnullasque item formulas ad rem pertinentes, Haebreorum, ac Romanorum non inscite collatis moribus enarrat. Tum decretos, eosque solemnes modos, quibus mulieres in manum virorum conveniebant, pluribus itidem Graecorum, ac Latinorum Auctorum testimoniis in medium productis, aperit, ac promit, aliamque adversus veteris genii, ac aevi melioris viros Joh: Heineccium, et Alexium Symmachum Mazochium opinionem tuetur. In altera cum nonnulli acris plane judicii homines in ea fententia essent, ut emi, vendique libertas nequiret, eos manifesto errore implicatos prodit, et pacto servum fieri, libertatemque apud plurimas gentes venalem fuisse ostendit. Cum de lertia coepisset scribere, sub ipsum initium ab laudato viro Asexio Symmachio remoratus consistere debuit. Is *confarreationem, coemptitionem, usum* non tam nuptiales, quam sponsalitios ritus fuisse suspicionem injecerat. Cyrillus seorsim sentiit, enunciatosque ritus nuptiales, non sponsalitios fuisse prodidit, vel plures Auctores, eosque receptissimos sequutus.

Proximum locum tenent duo publicae disputationes, quas in Neapoletana Academia solemni more habuit Codicis, ac Pandectarum Cathedram adepturus, et in quibus summa jurisprudentiae doctrina feliciter dominatur, sua loquutionis generi servatur dignitas, et opportunis locis fulget eruditio: ut certe ex interiori litteratura, et sepositis opibus plane sint, quae is vel paucarum horarum spatio interjecto, diserte palam fecit victura in ejus famam, et publicum usum.

Praeter istas lucubrationes expectabamus longum porro *Observationum* ordinem, quarum spem nobis injecerat in primis Civilibus, ac repetitae praelectionis Institutionibus. Sed salivam tantum, quod dicitur, nobis movit, expleturus desiderium, si Deus dedisset, uberiori aliqua mensa: omnem enim earum partem veluti intentatam reliquit, quasi Lunicam Junonem clamans, foetu nondum concepto; et illae tamen pulchriora Civilis prudentiae continent argumenta. Supersunt nihilominus ex iis quaedam tantummodo, quas unas potuimus, ut ex horto flosculä, quae tibi offerrentur, delibare. Nonnullas rudes, et interruptas reliquit, quarum veluti mutilata ramenta quaedam existunt haud quaquam digna, quae typico praelo subjiciantur.

Videsis porro litteram concinnam, cultam, elegantem, et laudabiliter latine scriptam ad Emmanuelem Duaium virum consultissimum, Jurisque peritia apprime consummatum eo tempore, quo is librum satis excultum edebat *de novo, ac veteri jure codicillorum.*

Videsis tandem Inscriptiones latinas, in quibus insigniora munera, gesta, praecipuas virtutes, ac laudes, easque nec affectatas, nec verbis nimium apparatis compositas, paucis complectitur, serium, pressumque stylum tenens alienum a fabulis, et jocis.

Italice scriptas lucubrationes nunc vide. Et elegans cum primis, ac plenus artis, et ingenii est libellus ille *Observationum*, quem in Ludovici Muratorii librum, cui titulus = *De' difetti della Giurisprudenza* = edendum curavit. Ludovicus Antonius Muratorius, vir, ut breviter dicam, virtutem prisci temporis aequiparans, graecis autem, et latinis litteris perfectus, et antiquitatis potissimum servator diligentissimus, Jurisprudentiae conturbandae ediderat librum, in quo factus nostrae facultatis hostis infensissimus habet multa contra venerandos Civilis prudentiae Auctores. Homo autem fuisset egregie prudens, si ab ea re sibi temperare putasset. *Quam quisque enim novit artem, in hac se exerceat.* Probe is noverat, quid illis inde mali evenisset, qui, ad cetera eruditissimi, falcem in alienam messem immittentes, in notandis Juris Auctoribus operam navarunt. Cyrillus graviter et acerbe tulit Romanam Jurisprudentiam pessime a laudatissimo viro laceratam, et proscissam. Quapropter nihil antiquius habuit, quam ut Muratorium a vero aberrasse luculenter ostenderet. Arti enim suae factam injuriam censuit, nisi et per ipsum honos illi restitueretur. Et non indoctas sane Observationes in publicum dedit, quibus plura Civilis prudentiae

loca

loca tuetur Oratione vinula, ac venustula, qua dulci veluti condimento lucubrationem adspergit suam, non solum rationum pondere, sed salibus etiam, et aculeatis facetiis instructam.

Cooptatus autem Cyrillus in *Otiosorum* Academiam plurimas in ea Orationes; Dissertationesque habuit, quarum vix aliquae supersunt, eam expertae fortunae iniquitatem, ut vetustate perierint. Quas aetas non invidit, eas tibi inspiciendi, et probandi caussa submissas voluimus. Et primum quamquam cultiores nationes tanto in pretio libertatem habuerint, *ut emori potius, quam servire putarent*, quemadmodum ait Cicero (a), venalem tamen eam apud nonnullas gentes fuisse. memoriae proditum est. Hinc illi occasio enata *de libertatis venditione apud Romanos* duplicem, eumque italicum habendi sermonem, parum a dissertatione jam superius laudata, ac latine scripta *de servitute ex contractu* dissimilem, in quo placet materies, ordo, industria, et suus linguae genius, et in quo ostendit se utramque scribendi rationem satis exploratam habere.

Instar omnium autem sit illa, qua prodidit *Quomodo, et quantum sibi cavebant Christiani, ne viderentur imitari Gentiles.* Plures de hac re sermones recensuit frustra tam anxie undique conquisitos, quam ille ipse Hylas Herculi fuit. Quem prae manibus habemus, is fuit brevissimo temporis spatio absolutus; et tamen nunquam ille Propertius, tam cupide suam Cynthiam complexus est, quam ego hunc sermonem. Verba enim vides? Pura, tersa, propria. Filum totum orationis? Breve, nervosum. Rem ipsam?. Utilis pariter, et jucunda historia est, et, quod mihi caput, plena moris, et doctrinae antiquae.

Pulcherrima quoque est enodatio, sive lectio, ut nuncupatur, quam scripsit in Petrarcae illius clarissimi Poetae carmen, cui initium praetulit, et cujus alteram tantummodo partem habemus. *Non d'atra e tempestosa onda marina.* In italica ista lectione atylus ita est gravis, et excultus, ut nihil in eo vulgare, aut triviale sit, seu sententias, seu verba inspicias. Et sane qui illustrium Poetarum carmina interpretanda et enucleanda suscipit, non solum, quod dicitur, ad Aristophanis, sed etiam ad Cleantis lucernam oportet lucubrasse.

Interim in Caroli Borbonii Regis Optimi, ac Mariae Amaliae Walburgae lectissimae puellae nuptiis Neapoletanae Academiae obsequentis officium praestabatur, conquisitis laudibus ex haebraea

(a) *In Pis.* 82. 6.

braea, graeca, latina, et italica locutione. In tanta eruditorum hominum contentione, a quibus tam vario linguarum apparatu faustissima nuptiarum solemnia cohonestabantur; symbolam quoque suam conferre certo grati anim officio non dubitavit. Orationem italice scriptam contulit, in qua est comitas, lepos, et facundia quaedam profluens, et simplex: sermo autem elegans, atque energiae plenus, et in quo mira sit ad permovendum vis: stylus, qualem res postularet, concisus, dilucidus, quique omnem respuat ornatum, atque uno verbo, eam Orationem, qui legunt, non possunt non ingenii acumen, judicii soliditatem, et sententiarum gravitatem non admirari.

Fato dein functo Josepho Pappacoda Centulanorum Principe, Cyrillus piissimo vocis obsequio funebrem orationem in ejus Parentalibus, eamque publicam, et, ut fieri plerumque solet, velut extemplo habuit. In illa Principis laudes enarravit, quas maerore obsitum pectus eliquare potuit, schedulas quasque, ut proxime illeverat, adhuc madentes succo fuliginis typographo submittens. Non est autem, quod orationis nitorem, sermonis elegantiam, sententiarum acumen; et ornatum quemdam negligentem, vel frequentia, vel brevitate desideres.

Quo vero tempore plurimam foro operam dabat, marmoream quamdam litteratam basim Popidii Celsini in atrio Templi Pompejani effossam suis animadversionibus dilucide inlustrare curavit, homo nedum antiquitatis doctus, sed omnium istiusmodi lautitiarum studiosissimus. In ea nonnulla vetustae dictionis vestigia exstant, quae plurimam scriptiunculae lucem, et Cyrillo laudem affundunt.

In eam quoque abditam Philosophiae partem, quae ad Metaphysicam nominatim pertinet, non unum ingenii specimen edidisse videtur. Profecto non libavit in juventute haec studia, sed combibit apud Nicolaum Capassum Philosophorum tunc facile Principem, accepturus maturior ex ejus agro, optima ipsius Philosophiae fruge conserto, suaves illos prudentiae, imo et sapientiae fructus, ut è pleno earum pectore manarint, quae scripbit in *Epistola ad incertum Auctorem*, complementi veluti loco tibi subjecta.

Jam quae de latinis, italicisque solutis Orationibus prodenda videbantur, expleta sunt. Protinus poetica, mitioraque studia perlustranda, quae tertiam, atque postremam Opusculorum classem constituunt, quaeque non ultimam Cyrillo laudem pararunt. Si quid enim judicare possum, ita tersa in illis eminet, et ad comicum morem pura dictio, ita simplex, cohaerens, ac nihil quaesiti coloris, aut fuci, ut merito illi

Jurent

Jurent Albano Musas in monte loquutas

Nitent sane carmina illaborata, quae, ut Comicus ait, cum nil nisi mulsa loqui videantur, et è vivo gurgite exundent, vel ipso Phaebo dictante habendum excepta. Et in antecessum videsis carmen vernacule inscriptum ⇄ *La Contesa delle Muse Apollo Calliope, Melpemone, Euterpe*, elegans mehercules, et quantivis pretii, bona fide bonum, quasi papavere, ac sesamo sparsum, et Romanis, non Alexandrinis deliciis compositum, ut nullus quispiam viderit pictum, aut fictum carmen aliquod amenius, aut ornatius. Hoc tanta in regiarum Caroli Borbonii, et Mariae Amaliae Walburgae nuptiarum sollemni recurrente die excepit admiratio, ut nunc cithara, nunc lyra in oculis omnium personaretur.

Additum inde suave qnidem, ac bene tornatum aliud carmen cui nomen inditum ⇄ *Le Nozze di Ercole, e di Ebe*, et scriptum ad laetissima Marchiouis Oyrae celebranda connubia. Versus istos coepi legere, idest mella, et favos. Non mentior. Suavia omnia, sine affectatione polita, sine scabritie antiqua, et quorum gratiam cumulat sanctitas scribentis.

Non pauca tandem pro re nata italica epigrammata compegit ingeniosa, elegantia, venusta, quibus sive Thetidis jugales taedae celebrarentur, sive supremus honos alicui haberetur, laudes cumulatissime quandoque lubens, quandoque Cyrillus rogatus implevit, et in quibus jocatur, ludit, amat, dolet, queritur, irascitur, describit aliquid modo pressius, modo elatius, atque ipsa varietate tentat efficere, ut alia aliis, quaedam fortasse omnibus placeant.

Praeter istas utriusqne linguae, vel plurimae aliae lucubrationes ultro nobis oblatae, quas tamen rejiciendas putavimus; Tantum enim absunt ab arguta, et eleganti latini, et italici ejus sermonis proprietate, nec non a perspicuo, puroque verborum nexu, quantum Homericus ille Nestor a Menelao. Oh quam vere indignetur, et colorem nou teneat, si resurgat vir ille ab aureo aevo, et eas cernat! Ille altus, excitatus, et alacer, plenus spirituum, et sanguinis probet illos tabidos, jacentes, et vere *humi serpentes sermones*? Puer ego, nisi a puero ea scripta, certe pueri modo, aut ab alio quodam imperito homine exarata.

Sed quorsum ego tam multa? Imo leviter dixi, et, quod ajunt, *suspensa manu*. Nam, ut omnes Cyrilli laudes in medium afferantur, mihi qnidem exarandi fastidium sit, tibi autem legendi. Collectioni potius ipsi multo majus ex lectione praeconium accedet,

det, quam quantum ego ullis vel quaesitis verbis consequi possim, eamque legentes non dubito, quin fateantur non modo Cyrillum non supra modum, sed longe etiam infra modum fuisse a nobis laudatum.

Finem meum scribendi habeo. Plura illustrandae ejus doctrinae dixi in *Commentario* singulari, quem plurimis abhinc annis *De ejus vita, et scriptis* in lucem editum elucubravi. Utinam Josephum Cyrillum semper tibi ostendas, vel praeceptorem, vel exemplum ad virtutem cum aeterno tuo, et publico bono!

INDICE
DEGLI OPUSCOLI CONTENUTI IN QUESTO VOLUME.

O R A T I O
IN OBITU DUCIS
C A J E T A N I
A R G E N T I I
P A T R I C I I C O N S E N T I N I,

Et S. R. C. Praesidis,

Habita in Academia Ducis

ANNIBALIS MARCHISII.

FRANCISCO VENTURA

AMPLISSIMO NEAP. SENATUS REGENTI

QUEM NOMINARE LAUDASSE SAT EST

JOSEPH CYRILLUS

FUNEBREM HANC ORATIONEM

AMORIS QUIDEM SUI

PIGNUS

GRATI VERO ANIMI

NON QUALE VELIT

SED QUALE POTEST HOC TEMPORE

ARGUMENTUM

DICAT CONSECRATQUE.

ORATIO.

Nempe hoc unum afflictis Patriae rebus deesse videbatur, ut Cajetanus Argentius, ad quem formidolosis temporibus, tanquam ad totius oraculum Civitatis, confugere Neapolitani Cives consuevere, hoc potissimum tempore, quo bellorum turbo instat jam, ac pene auribus obstrepit, morte inopina raperetur! Quod si id nobis unum dedissent Superi, ut ejus Viri obitum persentiscere potuissemus, tot pro eo lacrymas effundere, tot nuncupare vota licuisset, ut vel tantam a nobis calamitatem deprecari, vel compositi saltem ad tristitiam tanti moeroris acerbitatem aequiori animo sustinere valuissemus. Nunc, quoniam eum subito eheu! ereptum fato accepimus, ita nos dolor imparatos corripuit, ut neque ab eo mentem avocare valeamus, nec posse quicquam nobis hoc tempore jucundius accidere existimemus, quam commoveri, ingemiscere, lugere. Erumpat igitur, qui animo infixus haeret, dolor; atque ea vulnera, quae jam consanescere deberent, refricentur Oratione mea ac recrudescant, ut, quoniam iis medicinam facere non possumus, haec saltem summi doloris acerba quaedam solatia capiamus. Quamquam vero me amplissimae ejus familiae pallor, me squalor Senatus, ipsae me dicentem exanimant orbatae Civitatis voces, quas adeo moestas exaudio, ut nihil sibi putet gravius unquam contigisse; dicendum est tamen, quantum vox dolore ipso pene interclusa patietur. At quia eum ex corpore, tanquam ex carcere, ad Coelum evolasse confidimus, unde, quae a nobis dicuntur, quaeque fiunt, audit atque intuetur, ea dumtaxat hodierno die aggrediar exornanda, quae sola ipse, si vivus adesset, in rebus humanis digna laudibus existimaret; non Patriae splendorem, non opes, non copias, non valetudinis robur, non majestatem oris, ac totius pene corporis dignitatem, quae singula satis amplam Orationi materiam suppeditarent, sed solidam et veram, non fucatam et fictam sapientiam, qua et interior homo consummatur, et jure hominis nomen promeremur. Quoniam vero ex mente et animo, tanquam ex partibus, interiorem hominem constare Sapientum vox est, quarum una scientiarum cognitione, altera virtutum exercitatione et errorum nebulas, et vitiorum sordes discutit, et absterget, Cajetanum Argentium utramque sui partem ita excoluisse ostendam, ut et mentem rerum pulcherrimarum notitia compleverit, et animum omni virtutum genere adornarit.

Quis est autem, qui pro ejus Viri dignitate se dicturum confidat,

fidat, in cujus uberrimum atque admirabile ingenium confluxisse videbatur quicquid et Rhetores tradere, et scribere Historici, et Poetae confingere, et dissertare Philosophi, et cavere Jurisconsulti potuerunt? Mihi quidem singulas ejus aetatis partes animo percurrenti, tanta ubique rerum laudandarum messis videtur exsurgere, ut, si summa quaedam capita persequar, verendum jure sit, ne me vox et dies ipsa deficiat. Quamquam vero in eas angustias conjecti sumus, ut praeclara ejus acta et consilia in semihorae curriculum concludere debeamus, a prima tamen illius aetate nostra proficiscatur oratio; in ea enim tot ac tanta jam erupturae virtutis semina eluxerunt, ut uberrimae segetis spem paene certam afferrent. Peracre ingenium, atque ad literas ita factum, ut, quae sibi vel puero traderentur, ipse non ab aliis arripere, sed ex se parere ac recordari quodammodo ex veteri illa Platonis sententia videretur: summa memoriae vis, ut, quae semel acciperet, altissimis veluti defixa radicibus insiderent: summus animi ardor, ut ad majora in dies contenderet, ad eaque divino quodam impetu reparetur: summa animi firmitas, ut, quam semel studiorum rationem instituisset, ab ea nec taedio, nec labore, nec voluptate depelleretur. Ubi vero pueritiae teneritatem adolescentiae robur excepit, cum se ad eas literas contulisset, quibus fingi ad humanitatem prima solet adolescentia, puriores latini et graeci sermonis fontes ita est perscrutatus, ut, si quid graece aut latine dicendum aggrederetur, germana prope Demosthenis ac Tullii vox in ejus ore tempore alienissimo resonaret. Latinis autem et graecis literis diligenter excultus cum animum ad Eloquentiam appulisset, tanta contentione celeberrimos florentissimae cujusque aetatis Oratores perlustravit, ex eisque tot idonea colorandae orationi pigmenta depromsit, tantamque sibi rerum pulcherrimarum supellectilem comparavit, ut ad perfectum illud Oratoris genus, quod vix animo fingere Veteres potuerunt (*a*), factus ipse videretur. Atque hic amplus patet mihi ad dicendum campus, in quo spatiari mea posset Oratio: sed tanta in eo laudum seges efflorescit, ut si percurrere singulas velit, pertimiscendum jure videatur, ne cursum hodierno die conficiat. Quid, quod eam ceterae ad se abripiunt artes, quibus CAJETANI adolescentia fovebatur? Historia, Poësis, Dialectice, et summa omnium parens Philosophia, quaeque ex ejus sinu, tanquam ex fonte rivus, erumpunt. Sed eas vel cursim attingere ipsa vetat Jurisprudentia, quae, cum potissimam ac pene immortalem tanto Viro laudem peperisset, ampliorem aperit Orationi campum, eamque jure quidem suo in illum compellit. Is igitur adolescens ad sapienter cogitandum recteque

(a) *Cic. 3. de Orat.*

cteque dicendum Consentiae institutus Romani Juris scientia informandus appulit ad hanc urbem, ubi jam eo tempore sapientissimorum hominum opera se e Barbariae foecibus erigere, ac respirare quodammodo Jurisprudentia videbatur. Qualem vero sibi ejus studii rationem comparavit? Cum non omnes omnino sordes Jurisprudentia abluisset, ac turbata illa et confusa disserendi ratio ex Arabum ducta temporibus serperet adhuc per Interpretum libros, et vel ipse adhuc Jurisconsultorum scholae barbaro disputationum strepitu personarent, verbaque non ex hac elegantissima arte effutirent, is nullo usus Magistro, perlustratis antea purioris historiae latebris et sanioris Philosophiae sinu, ex quo Juris principia repetere Tullius conabatur, ad Justinianea volumina confugit, in quibus veteris Jurisprudentiae faciem inducretur. Iis autem adeo diligenter excussis, ut et Romanorum mores et magistratus et imperia et vel ipsa latinae linguae arcana exploraret, quibus plerumque Jurisconsultorum sermo contexitur (a), politiores quoque adiit Interpretes, eisque omni studio versandis diurnae ac nocturnae partem quietis impertiebatur. Hinc nihil in summa rerum copia et varietate aut tam parvum ac minutum, aut tantum erat ac tam abstrusum, quod ejus aut diligentiam lateret, aut fugeret intelligentiam. Emenso autem Jurisprudentiae stadio, Forenses sibi summo labore pervolutandos proposuit, ut, quoniam penitiores Juris civilis sensus ex veterum Jurisconsultorum libris eruerat, eorum quoque sibi copiam faceret, quae vel posterioribus scripta temporibus vel in more Civitatis posita summam obtinent in Judiciis auctoritatem. Illud reliquum videbatur, ut, quoniam omnes humanae sapientiae fontes exhauserat, divinae quoque fontem sapientiae degustaret, ex quo leges non humano impetu, sed divino consilio, non ab Jove quodam commentitio, sed ab ipso veri Numinis oraculo, non ad privatim cujusque ingenium, sed factae ad veritatem promanant. Quis autem dicat, quanto labore atque industria per omnes divini juris partes excurrerit? Is, cum pessime sibi eos consulere animadverteret, qui puram Sacrae Scripturae et Conciliorum scatebram deserentes, unde ipsa Dei vox erumpit, sitientes rivulos consectantur, unde innumera opinionum portenta summo Ecclesiae detrimento in dies emergunt; adjuncta sibi antea Christianae Critices, et hebraici sermonis notitia, se totum ad divinos Codices, et Patrum libros convertit, in quibus Catholicae religionis veritatem ac veterem Ecclesiae disciplinam, tanquam in suo domicilio, contemplaretur. Prodiit tandem in forum CAJETANI virtus et lucem effudit suam. Ubi enim, obfirmata jam aetate, Patroni munus suscepit, se adeo sapien-

(a) *Grav. Orat.* 3.

pienter in eo gessit Vir ornatissimus, ut et juris, et dicendi artes, quae vix ullum veteris formae vestigium retinebant, ampliorem dignitatem recuperarint. Sane quis eo Viro juris petitior unquam fuit, qui partam sibi antea Romanarum legum scientiam ita forensi usu perfecit, ac perpolivit, ut sapientissimi ejus temporis Viri eum de Coelo veluti delapsum intuerentur, in quo uno vires suas omnes Jurisprudentia expireretur? Qui id unum a publicis negotiis diverticulum haberet, ut, quicquid sibi dabatur ocii, id omne in percurrendis Jurisconsultorum libris transigeret? Quem non rei difficultas deterruit, sed exacuit et exstimulavit, non fregit labor, sed ita refecit et confirmavit, ut sibi semper alacrior superesset. Huic autem summae Romani Juris intelligentiae quanta se adjunxit eloquentia? Tanta, Auditores, nemo ut esset eo tempore, qui aut copiosius aut vehementius aut majori cum dignitate dicere unqnam posset. Facessat autem hinc mollis illa et fucata eloquentia, quae non rerum momenta, sed dicendi veneres consectatur, non aculeos in Auditorum animis, sed vix concinnitatis suae memoriam relinquit. Eloquentiam Patrono dignam, dignam causis judicialibus, dignam Senato, non inanem et juvenilem, sed solidam et virilem artis oratoriae Patres voluere, quae et salubri quadam suavitate animos perfundit, et permovet quoque ac perfringit; non amputatam, et abscissam, sed et latam et magnificam et excelsam, quae tonat et fulgurat, omnia denique perturbat ac miscet. Hac instructus gravissimus Vir ac severus et Auditores detinere, eorumque animos stupore quodam defigere, et Judices rapere, et forum permiscere, et regnare in Senatu dicebatur. Non id mirum vobis videri debet, Auditores, qui vel eum in foro dicentem audistis, vel haec de eo, gravissimorum hominum sermone accepistis, nec me falsas ei laudes affinxisse posteritatem arbitror existimaturam, donec, quae extant jam, eloquentissimi hujus viri monumenta permanebunt.

Sed neque tanta optimarum artium intelligentia summa sapientis Viri laus est, nisi et ipsa comes sit atque administra honestatis; scientia enim, ut ajebat Plato, (*a*) si cum Justitia non consentiat, calliditatis potius quam sapientiae nomen promeretur. Quae cum ita sint, dubitabit quisquam, quin sapientissimi Viri nomen Cajetano tribuendum sit, qui vel a puero eam vitae rationem instituit, ut literarum studium cum studio pietatis conjungeret? qui vel in ipso adolescentiae flore, in illo affectuum estu, omnes voluptatum illecebras tanquam syrenum scopulos refugiebat? qui cum se in forum contulisset, ita in causis judiciisque publicis versabatur, ut se non minus juris quam honestatis cultorem profiteretur? cui summa sem-

(a) *Cic. de off. lib.* 1. *cap.* 21.

semper fuit in causis cognoscendis diligentia, ut non ab ipso, seu apud ipsum agi causa videretur? summa in suscipiendis observatio, ut ipse Judici et adversario maximum esset optimae causae argumentum? summa in agendis fides, quam neque pervertit gratia, nec libido corrupit, nec timor unquam perfregit? Vos ego testes appello, Auditores, qui, cum tantam in eo probitatem deprehenderetis, id unum habere in votis videbamini, ut, quo patrono et Eloquentia et Jurisprudentia ad spem pristinae dignitatis revixere, eo Senatore judiciorum innocentia restitueretur. Sed omnes laetissimus tandem dies voti compotes fecit, quo Consiliarius est renunciatus. Quibus autem artibus eum ad tantam dignitatem venisse existimatis? Sunt, quos juvat opulentia; id temporum disciplina non patiebatur. Sunt quos exercet ambitio; nunquam petiit. Sunt, quos ipsa spes fovet; Non optavit. Non eum auri vis, non eblanditae Principum Virorum commendationes, sed virtus ipsa, quae illius animum ad gerendam Remp. finxerat, ad tandam dignitatem provehendum curavit. Sane cum Caesar praeclara ejus acta et constanti omnium fama collegisset, quam non aura popularis fovebat, sed ipsae sapientum voces excitabant, ut primum, sese obtulit occasio, ita in eum oculos conjecit, ut divino quodam impetu ad eum diligendum urgeri se atque impelli affirmaret. Is autem ita omnes optimi Consiliarii numeros implevit, ut et Caesaris sapientiam in creandis Senatoribus suo exemplo comprobaret, et se majoribus dignum honoribus ostenderet. Sed nec unquam sub tanto Caesare virtuti praemia defuere. Hinc cum eum, quae summi Consiliarii absolvere officium consuevere, praestitisse jam omnia Augustus Caesar animadvertisset, eum et amplissimi Regentis et supremi in Neapolitano Senatu Praesidis dignitate decoravit. Jam vero quam se in iis muneribus obeundis et diligentem et justum et humanum praebuerit, neque obscurum Civibus, neque exteris inauditum: Quis enim eo diligentior unquam fuit, qui ita se totum Reip. devovit, nullus ut ei non modo dies, sed ne hora quidem ulla aut a publicis negociis vacua esset, aut a privatorum utilitate sejuncta? qui ita se aliorum utilitati addixit, ut se maximam sui esse partem oblivisceretur? quem non dati spectaculis dies, non aliae voluptatum illecebrae, non denique labor ipse ab instituto cursu avocavit? Quae autem artes a recto eum tramite deflexerunt? Num avaritia? Quis autem ex vobis ignorat, quantam in id potissimum operam intenderet, ne in judicando plus inesset in auro ponderis, quam in veritate momenti? Num gratiosorum hominum preces? At cui ex vobis novum, quam humane ac patienter justas derelictorum hominum voces exciperet, eos contra vim et gratiam propugnaret,

eo

eorumque idem maxime esset patronus et judex? Num ipsa improborum potentia? Sed quem vestrum latet, quanta animi constantia scelestos eorum conatus retunderet, ne reorum in peccando licentia sibi auferret in judicando libertatem? Quod si Porcium Catonem felicem eo numine habitum accepimus, quod nemo rem improbam ab eo petere auderet (a), quid hunc dicemus, cujus adeo spectata semper fuit animi constantia, nemo ut esset tam perfrictae frontis homo, qui dubiam ei causam afferret? O Virum integerrimum, cui parem nec postera aetas sentiet, et vix antiquitatis monumenta prodidere! Quid nunc ego ejus humanitatem aggrediar exornandam, quae tanta in eo fuit, ut qui dignitate ceteros longo intervallo praecelleret, par infimis humanitate videretur? Faciles ad eum privato cuique aditus patebant, liberae ad eum quaerimoniae afferebantur: non medios sermones audiendo defessus intercipere, non obloqui, non quicquam interturbare, ut multi, sed omnium postulata libentissime cognoscere, eosque, ut omnia licet verbose, et repetito, unde vellent, tempore, exponerent, non pati solum, sed et hortari consuevit: non triste illi supercilium, non compositus ad severitatem vultus, multus et comis sermo, mira verborum suavitas, nemo ut esset, qui non animi aequus ab eo, licet non voti compos, dimitteretur. Quae cum ita se habeant, hunc jure optimo Virum bonum appellemus, Virum non sibi natum, sed aliis, non sibi utilem, sed Patriae, qualem Romani Sapientes Judicem definiebant (b). Merito igitur Principes Civitatis ac totius pene Italiae Viri ejus sibi benevolentiam comparare, ad eum tanquam ad sapientiae aram confugere, summa ad eum negocia deferre, in eoque spes suas omnes collocare consueverunt: merito acerrimus ille aestimator virtutis Caesar cum in arduis Imperii rebus consuluit: merito semper in ejus consilio conquievit; merito illum Regiae Jurisdictionis custodem et vindicem renunciavit. Quanto autem in Principem studio, quanta in Ecclesiam pietate jus Regium ab improborum injuria vindicarit, testis est Caesar, qui majora in dies ei Regnorum momenta demandavit: testes ipsi Ecclesiae Praesules, qui ejus sibi amicitiam demereri studuerunt: testis omnium locupletissimus Benedictus XIII, qui summo semper eum honore prosequutus, tandem Pontifex omnium plausu et acclamatione salutatus maximis illum muneribus cumulavit: testes et vos, praestantissimi Auditores. Vos propius eum cognovistis, vos longe gravius de eo testimonium feratis. Me interea ceteras ejus virtutes persequi cupientem abripit ad

(a) *Plinius in Praefat.*

(b) *Joh. Bapt. Vicus de Univ. Juris uno princ. et fine uno cap. 51. pag. 9.*

.. se ipsius mors', quae et Virum sapientissimum et nostras cum eo spes omnes corripuit! Hem, Superi, quanta nobis CAJETANI ARGENTII morte acerbitate cumulastis, etsi ejus quidem caussa nihil est, quod doleamus. Novum jam per ipsum bonis literis lumen affulsit: Ipse adeo sancte, adeo sapienter summis in Neapolitano Senatui honoribus perfunctus est, ut eum omnes dignum majoribus existimarent. Per eum omnia bonarum artium studia dignitatem, innocentia securitatem recuperavit, quaeque extant virtutis ejus monumenta, splendore forum, gloria patriam, posteritatem exemplis locupletabunt. Dolendum est tamen studiosae literarum juventuti, quam ipse vel exemplo ad gloriam excitavit, vel e tenebris protulit in lucem, vel fovit patrocinio, vel praemiis confirmavit. Dolendum Consentiae, quae et summum Patricium, et doctissimum Virum amisit, in quo uno omnia pene Consentinorum ingenia revixerunt. Dolendum et nobis omnibus, qui difficillimo hoc Reip. tempore nostri amantissimo Praeside orbati sumus, quo se Civitas universa recreabat ac solabatur uno, quemque sibi unum in dubiis rebus praesidio futurum sperabat. Tu interea, CAJETANE, qui et squalentem Senatum et moestos Cives e celsissima beatorum sede intueris, effice quaeso, ut is locum tuum subeat, ad quem non dignitas modo, sed et virtus tua perveniat. Dicebam.

ORATIO

Habita in Regia Academia Neapolitana
A. D. V. Eid. Novemb. 1732.
Cum Civilium Institutionum libros interpretandos aggrederetur.

VIRO AMPLISSIMO
PIO NICOLAO GARELLIO
IN PATRIA BONONIENSI ACADEMIA
AD SUPREMAM MEDICINAE CATHEDRAM
EDUCTO
IN LUSITANIA ORDINIS CHRISTI EQUITI
CAROLI VI. AUG. ROM. IMP.
ATQ; HISP. REG. CATH.
A CONSILIIS ET PROTOMEDICO
AC CESAREAE BIBLIOTHECAE PRAEFECTO
JOSEPH. PASCHALIS CYRILLUS
SALUTEM.

Ut primum Caelestino Galiano Praefecto optimo placere sensi, ut haec Oratio mea ederetur, subiit continuò animum ea cogitatio, cui eam nuncuparem: cum ecce occurrit nomen tuum, Vir Amplissime, quod et mihi ornamento, et Orationi praesidio, et Neapolitanae Academiae universae jucunditati futurum prospexi. Et mihi quidem nihil praeclarius accidere unquam potest, quàm juvenile hoc Opus meum sub nomine ejus prodire, quem in luce atque in oculis omnium posuit Caesar ipse acerrimus aestimator Virtutis: Orationi meae nihil tutius, quam patrocinio ejus commendari, quem literati Viri patronum sibi appellant ac vindicem; Academiae vero universae jucundius nihil, quàm tenues hosce labores meos ei potissimum dicari, qui Academiam ipsam universam in fidem suam recepit, atque ea, qua potest maxime apud Caesarem, Sapientia, id prope unum urget hoc tempore, ut quotquot in ipsa sunt bonarum Artium Cultores, et loci dignitate honestiores sint, et beneficio Caesaris cumulatiores. Tibi igitur Orationem hanc meam obsequentis animi testem perpetuum venerabundus inscribo. Video ego, quam non facile illa oculos tuos sapientiae plenissimos sustineat, futurum tamen confido, ut eam pro humanitate tua bona cum venia excipias ac tuearis, quod ut facias etiam atque etiam rogo. Vale. Neap. Eid. Decemb. 1732.

ORA-

ORATIO.

Quamquam beneficia in me vestra, Praefecte Illustrissime, Senatores Amplissimi, Sapientissimi Professores, tam alte insident animo, ut nulla unquam temporis diuturnitate possint excidere; nunc vero, quoniam vos praesentes intueor, conspectus vester facit, ut, nisi eam vobis, quam debeo, illorum memoriam initio orationis praestitero, officio videar defuisse. Tertius jam annus agitur, cum me novum hominem ex tenebris in hujus Academiae lucem, eduxistis; cumque duos ab hinc menses nova se se daret Vobis occasio amplificandae dignitatis meae, notum mihi atque honorificentiorem in Academia locum dedistis. Qua ego de re et gratias vobis quam possum maximas ago, et, si non alia re, at certe sedulitate ac diligentia ostendam, tantum beneficium, tam illustre, tam plenum voluntatis in me vestrae neque in ingratum vos, neque in immemorem contulisse. Nunc, quoniam hae sunt meae partes hoc anno, ut Juris Romani Elementa studiosae legum Juventuti exponam, quam potissimum arbitrer ineundam ei studiorum rationem, paucis accipite; ut, si quid peccavero (peccabo autem in multis) me pro humanitate vestra ac sapientia castigetis, sin minus, judicium meum vestro suffragio comprobetis. Fuere jam patrum nostrorum memoria, et vel nostra hac aetate nonnulli sunt gravissimi, si Diis placet jurisconsulti, qui cum eam ab ineunte adolescentia studiorum rationem susceperint, ut ab humaniorum literarum Magistris praemature subducti ad Jurisprudentiam protinus convolarint; politiores literas, tum ut nimis leve, tum ut minus necessarium Jurisperito studium, derident. Sane, si eorum scholas ingrediaris, quàm barbaro, Deus bone! disputationum strepitu personant! Si commentarios evolvas, quàm sordet in eis Jurisprudentiae facies! Videte per Deum immortalem, Optimi Adolescentes, quorum potissimum caussa haec omnis oratio mea instituitur, ne in rudem hunc atque agrestem Jurisconsultorum gregem incidatis, quin, priusquam Juris Civilis artem aggrediamini, latinae Elegantiae atque Historiae fontes adite: Ego enim, quantum assequi judicio possum, sic sentio, Juris Civilis studium ita esse cum literis humanioribus conjunctum, ut vel turpe sit vel inutile, sine Romani sermonis, ac Romanae saltem vetustatis notitia ad Romanas leges accedere: tantum abest, ut politiora studia aut leve quidquam sint, aut minus Jurisperito necessarium. Quae dum edissero, rogo vos atque obsecro, Auditores, ut Oratoris infantiam attentione ac benignitate vestra adjuvetis.

Ac primum quam turpe sit Jurisperito Romanum sermonem

 igno-

ignorare, luculenter ostendunt ipsi veteres Jurisconsulti, quorum mira semper fuit verborum proprietas, ut soli praeter ceteros hanc latinae Sapientiae partem excolere viderentur. Sane Servium Sulpicium accepimus tantopere solicitum de vi ac potestate verborum fuisse, ut, si quid eum forte lateret, Virum aetatis suae facile principem M. Varronem consuleret: et Labeonem eo vel nomine commendat Gellius, quod latinarum vocum origines rationesque percalluerat, eaque praecipue scientia ad enodandos plerosque juris laqueos utebatur. Jam vero quanta fuerit in Juliano verborum cura et delectus, illud est argumento, quod, ne conditionem *impossibilem* diceret (quae vox Augusti tempore duriuscula nonnullis videbatur (a)), graeca maluit uti voce (b) quàm latina, sed ea tamen vix usu aevi melioris recepta. Domitius autem Ulpianus tam multus tamque assiduus in expendendis vocibus fuit, ut nimiam ejus diligentiam atque in re minuta plane morosam familiares ipsi fastidirent. De ipso etiam Tiberio illud memoriae est proditum, eum, cum vellet ab Edicto verbum unum eradere, quod peregrinum sibi videretur, Attejum Capitonem summum aetatis suae Jurisconsultum et Pomponium grammaticum advocasse. At contra C. Trebatii Romani Equitis, et Q. Aelii Tuberonis libros de Jure Civili ne in vulgus quidem probatos accepimus, quod neque cultum, nec proprietatem haberent Orationis. Quid eos ego Jurisconsultos commemorem, qui vocum etyma in Pandectis vestigant? Quid eos, ex quorum fragmentis constat perpetuum illud Digestorum Caput *de Verborum Significatione*? Quod demum eos, quos facit Gellius passim in libris suis de re grammatica disserentes? Quid? nonne videtur vetus illa Romanorum Jurisprudentia proprietatem sermonis atque elegantiam sibi sociam adjunxisse et adjutricem? Ita sane. Et quamquam non pauci (c) multa esse in Pandectis aut minus recepta, aut prorsus impropria, aut plane barbara pluribus collatis exemplis contendant; nihil est tamen, cur istos quidquam moremur. Nam et multa idoneis probata auctoribus, si ad Grammatistarum cavillationes exigantur, delicatioribus nonnullorum auribus sonare vitium videntur, et potuere multa in antiquas leges sive incuria sive inscitia librariorum irrepere, et vero etiam fuere multa ab ipso Triboniano in libros juris intrusa (d). Ceterum et Quintilianus

(a). *Cic. ep. fam. lib.* 9.

(b) *L. ab omnibus* 107. §. 1. *de Legat.* 1.

(c). *Laurent. Valla passim lib.* 6. *Eleg. Ant. Matthaeus in Colleg. Jur. disput.* 12. *in fine.*

(d). *Alciat. de Verb. Sign. lib.* 4. *p.* 840., *et pag.* 846. *Vide Duker. de Latinit. Jurisc.*

nus (*a*) *summum fuisse*, ait, *circa verborum proprietatem Jurisconsultorum laborem*, et vel ipse Laurentius Valla, etsi per summam invidiam (qui mos est hominis) acerbe risit Jurisconsultos, ubi tamen se ad Pandectarum libros serio ac sedulo evolvendos convertit; illud est admiratus, quod alii alibi nati et educti, ac longis temporum intervallis inter se diversi una eademque latinae linguae elegantia suos de Jurisprudentia libros conscripserint: cujus rei sane mirae ea forsan ratio est, quia certae juris formulae, quas Jurisconsulti religiosissime custodiebant, et assidua antiquarum legum interpretatio eam ipsis fecerunt necessitatem, ut una eaque perpetua Artis elegantissimae lingua omnes loquerentur. Hinc quamquam plerique omnes Jurisconsulti, quorum fragmenta Tribonianus in Pandectas conjecit, in id tempus inciderint, quo tempore jam peregrini mores ac verba in Urbem influxerant; adhaesit tamen eorum verbis prisca sermonis elegantia et nitor. Ut vero primum sublatae sunt formulae, et cepere leges praesenti semper lingua conscribi; vetus illa ac nativa latinitas, quae antea in magna peregrinorum colluvie in solis Jurisprudentiae libris supererat, apud ipsos etiam Jurisconsultos inclinavit.

Nec vile aut ab instituto alienum ducebant Jurisconsulti in vim verborum inquirere: nam etsi Philologiam seu scientiam verborum a Philosophia divulsam Grammatici nunc intra fines suos contineant; principio tamen illam Sapientes fecere suam, eamque Philosophiae tanquam partem subjecerunt. Hinc Adam summum fuisse sapientem vel ex eo conjectat Bochartus, quod ex sua quidque vi ac natura certis nominibus designavit: et scite Pythagoras, Μὴ μόνον, inquit, *λογιώτατον, ἀλλὰ καὶ πρεσβύτατον ἡγεῖσθαι τῶν σοφῶν τὸν δέμενον τὰ ὀνόματα τοῖς πράγμασι* (*b*). Hinc Platonis Cratylus totus circa verborum origines versatur: Hinc demum Stoici, quos potissimum in hac parte sequuti sunt Jurisconsulti, verborum notationes quam studiosissime expiscari, eoque adjumento naturam rerum aperire consueverunt.

Ergo veteres Jurisconsulti, cum staret adhuc latinae linguae majestas, et non in subselliis modo ac rostris, sed in ipsis etiam triviis latina resonaret oratio, delectum verborum habebant: Nos, ea jam mortua, rudi ac plane barbaro sermone Civile Jus interpretabimur? Illi in summa et scientiae et Imperii luce non vile aut indecorum duxerunt sibi de re grammatica disputare: Nos, si qui paul-

(a) *Instit. Orat. lib. 5. cap. ult. in fin.*

(b) *Non solum disertissimum, sed antiquissimum Sapientum putari eum, qui posuit nomina rebus.* Clem. Alexand. in Epitome τῶν Θεοδότ.

paullo limatius loqui studeant, eos leves esse homines dicemus? Illi incorruptam castamque dictionem tempore alieno retinuerunt: Nos mundiciem orationis contemnemus? Quod si, auctore Tullio, *non tam praeclarum est scire latine, quam turpe nescire*, nonne turpissimum erit, latinas literas ignorare hominem ejus artis cultorem, quae cum latino sermone nata est et adolevit, quaeque auctores habet latinae elegantiae cum primis studiosissimos?

At enim veteres Romani juris Interpretes ferme nullum orationis florem sequuntur: nec tamen eos reprehendit posteritas, quin potius eos uno ore et laudat et admiratur. Factum bene: at quid in eis laudat, quid admiratur posteritas? Vim quidem ingenii et ubertatem, qua et summum jus ad aequitatem, et, similia conferentes exempla, leges ad novas juris controversias praeter ceteros deflexere; styli vero rusticitatem verborumque insolentiam quis laudet? quis admiretur? Jam vero si justi esse aut haberi rerum aestimatores velimus, quid facimus hanc caussam nobis et Accursio aut Bartolo communem? Quid ex antiquis nostra haec tempora aestimamus, cum eorum conversa omnis sit ratio? Venerunt illi in id tempus, quo oppressa impetu Barbarorum Italia omnia pene bonarum artium studia exulabant, nec quidquam propius aberat, quam ut plane perirent: nos in eam aetatem incidimus, qua viri disertissimi politiores literas in Italiam felicibus ansis revocarunt. Illorum tempore Jurisprudentiae facies inhorruerat: Hac nostra aetate honesta et liberalis elucet. Illi vitio temporum, nos certo animi judicio peccamus. Quam turpe igitur erit nobis elegantissimam hanc artem, quae omnes eluisse sordes videtur hoc tempore, rursus Barbariae faecibus commaculare?

Quid? quod elegantioris sermonis usus non ad ornatum modo, ac majestatem Artis, quam profitemur, sed ad interpretandi etiam juris necessitatem est assumendus? Et quidem cum Pandectarum libri exquisitissima sint monumenta latinitatis, quis non videt, homini latinae linguae cum primis intelligenti facilem ad eos patere aditum, praeterea nemini? Cumque Jurisconsultorum fragmenta verbis non ex vulgari consuetudine, sed ex intima atque arcana latinitate repetitis abundent, quis non intelligit, quam non facile Jurisprudentia sine abstrusa Romani sermonis cognitione consistat? Praeterea cum multae juris sententiae adeo verbis ipsis adhaereant, ut ex sola verborum interpretatione totius caussae cognitio dependeat, num fieri unquam potest, ut, qui vim verborum non tenet, eam sententiam, quae verbis est inclusa, assequatur? Frustra, mihi credite, ingenui Adolescentes, frustra is ad fontes Romani juris accedit, qui non antea nativum prope latini sermonis succum

im-

imbiberit. Sane quam multa Accursius, et plerique omnes ex ejus familia interpretes ob latinae linguae imperitiam peccant! Peccat Accursius, ubi *vulgarem uxorem* apud Ulp., (a) hoc est *Usu quaesitam* (b) interpretatur *meretricem*. Peccat, ubi *adnotare reum* apud Martianum (c) hoc est *reum in acta seu commentarios referre, ut is requiratur*, idem esse putat, ac *bona ejus publice describere*. (d) Peccat, ubi *testimonium denuntiare* apud eundem ipsum Martianum, (e) hoc est, *homini diem praestituere dicendo testimonio*, nihil esse aliud, quam *dicere testimonium*, arbitratur. Peccat, ubi *Grassatores* apud Claudium Saturninum, (f) nempe *obsessores viarum*, esse homines *ad malum nitentes* existimat. Peccat, ubi *malam mansionem* apud Ulp., (g) puta *vetus quoddam tormenti genus*, (h) quam ποδοκάκην Graeci appellant, esse *carcerem* opinatur. Quid nunc ego singula persequar apud vos, quorum nemo est, quem lateat veteres Juris interpretes ob latini sermonis inscitiam saepe in multis Pandectarum locis haesisse, lapsos saepe, quandoque etiam falsas Jurisconsultis sententias affinxisse? (i) Quid dicam de Formulis, quibus Romani sacra omnia et profana, publica et privata negotia expediebant? Sunt illae, Auditores, arcana quaedam latinitatis, quae nonnisi peritissimo cuique latini sermonis patebunt. Quid dicam de veterum Notis, quibus voces integras brevitatis studio designabant? Fuerunt hae libris Jurisconsultorum adspersae; (k) cumque eas vix internoscerent librarii, tam multa prorsus aliena in Pandectas conjecere, ut, qui ex veterum Grammaticorum Commentariis (l) peculiares saltem notas juris non repetit, is frustra se nonnulla Digestorum loca interpretaturum confidat. (m) Quid dicam de ipsa legum In- ter-

(a) *in l. si uxor* §. 1. *ad l. Jul. de Adult.*

(b) *Vide Aulis. ad tit. ff. Solut. Matrim.* p. 1. *Rubric.*

(c) *in lib.* 1. *de Requir. reis*.

(d) *Vide Duaren. disp. lib.* 1. *c.* 8.

(e) *l. concussionis ult. ff.* de *Concussionibus*.

(f) *l. aut facta* §. *qualitate de Poenis.*

(g) *l. idem apud Labeonem* §. *quaestionis ff. de Injuriis.*

(h) *V. textum in l. si hominem ff. Depositi*, *et Budaeum ib.*

(i) *Vide textum in l.* 3. *Commod. l. quisquis, C. Si certum petatur et Budaeum ad ff.*

(k) *l.* 2. *C. de Vet. jure Enucl.* et *Sculting. in Jurisprud. Antejust. p.* 597. *num.* 29.

(l) *De Notis Juris exstat libellus Magnonis apud Gothofredum in Corpore Auctorum Linguae Latinae*.

(m) *Vide Cujac. ad* §. *ult. Inst. de Vulg. et Noodt lib.* 2. *observ. cap.* 21.

terpunctione? Hanc quidem ignoravit antiquitas, posteriora tempora excogitarunt, indiligens tamen librarii manus turbavit adeo, ut non sine summa latini sermonis intelligentia Jurisconsultorum mentem assequi valeamus. (*a*)

Latinis autem literis diligenter excultus studiosus legum adolescens Romanam quoque Remp. atque Imperium exploret: quod quidem studium tantum abest, ut leve quidquam sit, ut potius illud, et veteres Jurisconsulti, et vel ipsi Romanorum Imperatores enixe, sint prosequuti. Num desunt exempla? Suppetunt innumera ex ipsa vetustate, et quidem locupletissima. Attejum Capitonem totius antiquitatis peritissimum fuisse, testatur Plinius. (*b*) Alexander Severus nunquam aut de Rep. deliberasse, aut tulisse legem dictus est, nisi et XX. Jurisperitos, et literatos XXX. consuleret. (*c*) Theodosius Imp. Honorium filium hoc monito futurum Legumlatorem instituit,

Nec desinat unquam
Tecum Graja loqui, tecum Romana vetustas. (*d*)

Atque hic me extra Pandectarum libros vagantem revocant ad se nonnullae Digestorum leges, quae ex Historiae sinu, tamquam ex novo juris civilis fonte, defluxerunt. M. Tull. Cicero Consul in quaestione conjurationis Catilinariae ratum habuit testimonium Fulviae Meretricis. Quid postea? Hinc respondet Papinianus, in crimine majestatis muliebre testimonium valere. (*e*) Scripserat Tullius in Oratione pro Cluentio, mulierem quandam Milesiam in Asia damnatam capitis, quod accepta ab heredibus secundis pecunia, partum per mala medicamina abegisset. Quid inde? Hoc exemplum pro lege est, ex eoque conficimus, capite plectendam mulierem, quae per malam malitiam immaturum fœtum extrudit. (*f*) Attilius Regulus Romanus homo captivus a Chartaginiensibus factus olim visus non est postliminio reversus, quod se Chartaginem reversurum juraverat. Quid tum? Hinc probat Pomponius, captivum hominem non videri postliminio reversum, nisi manere apud suos et velit, et jure possit. (*g*)

At vero quantum commodi ex Historia in Jurisprudentiam redun-

(a) *Vide Viglium al §. non solum autem Inst. de Pupillari subst.*
(b) *Vide Bald. de Instit. Hist. p. 244. edit. Halae.*
(c) *Vide Balduin. ibid. p. 242.*
(d) *Claudian.*
(e) *l. in quaestionibus §. 8. ad leg. Jul. maj.*
(f) *l. 39. de Poenis.*
(g) *l. 5. §. ult. de Captivis.*

dundat? Meo quidem judicio, plurimum. Sane, ut jus publicum omittamus, quod explicari nisi ex memoria antiquitatis non potest, ipsum jus privatum, quod profitemur, ita est cum Romana vetustate permixtum, ut, nisi lux affiulgeat Historiae, aut sub ingressum subsistere, aut offendere in ipso juris cursu, ac labi turpiter necesse sit. Et quidem certe quis ignorat, multas legum rationes non esse aliunde quam ab Historia repetendas? Cumque occurrant passim in libris juris aperta legum dissidia, quem latet, haec fere omnia, nisi lumen accedat Historiae, componi unquam non posse? Incunda est ratio temporum: spectanda Reip. forma: cognoscendi mores populi: distinguendi Jurisconsultorum sectae: Tempora autem percurrit Historia: Reip. fata recludit Historia: Mores populi notat Historia: Jurisconsultorum sectas recenset Historia. Haec nobis viam ad salebrosa juris loca praemuniet: haec praelucebit nobis in tenebris vetustatis: haec nos in arcana Jurisconsultorum conjiciet.

Quid dicam de nonnullis veterum Jurisconsultorum fragmentis, quae aut librarius corrupit, aut Tribonianus interpolavit? Nonne erit nobis ad Historicos excurrendum, ex eisque advocanda lumina, quibus illa luculentius dignoscantur? Sane vero AA; nec alia, mea quidem sententia, patet via. Fallor? Ea age, quisquis es Historiae imperitus, sume in manus libros juris, quaeque tibi loca indicabo, his Auditoribus arbitris, expone. Principio sese nobis offert Caput de *Origine juris*. Interpretabor, ais. At quo adjumento? Prostat, inquis, in eodem capite Historiae Romanae Epitome per Pomponium magni nominis Jurisconsultum conscripta. Praesto sunt, si quid desit Pomponio, Accursianae Glossae, ac Bartoli ceterorumque ejus aevi Interpretum Commentarii. At vide, ne in Pomponiana Epitome sua tibi Librarius deliria venditet. Vide, ne cum Accursio et Bartolo effutire monstra videaris. Sane Pomponianam istam Epitomem sexcentis in locis corruptam ex Historicorum monumentis, ac libris Basilicorum restituit Budaeus, Cujacius, et reliqui sanctioris Jurisprudentiae cultores: (*a*) Accursius vero aliique complures ex eadem schola interpretes tam multa aut falsa, aut ficta, aut vana Originibus juris civilis inspersere, ut non Romani juris historiam conscribere, sed confingere fabulas videantur. Pergamus porro. Ulpianus (*b*) Legis Regiae meminit, nescio cujus, qua Romanam Remp. Augusti tempore abiisse in Regnum testatur. Eja interpretare. Res ipsa, inquis, se luce sua prodit. At vereor ego, ne

 quid

(a) *novissime Pomp. Epitomen illustravit Cl. Vir. Cornel. Binkershoek tom. 2. opusc.*

(b) *l. 1. de Const. Princip.*

quid falsi nobis Ulpiani nomine bonus ille Tribonianus obtrudat; si enim veterum monumenta percurramus: si omnem Romanae fortunae memoriam lustremus: si Historicos excutiamus prope singulos, comperiemus profecto, legem hanc Regiam vasto silentio praeteriri. (*a*) Progrediamur ulterius. Celsus, et Ulpianus (*b*) Curatores dicendae dotis caussa mulieribus datos memorant. Quid tum, inquis? Ego vero Triboniani manum agnosco. Miraris? Ecce tibi eundem ipsum Ulpianum, qui (*c*) non Curatorem, sed Praetorium Tutorem promittendae doti adhibitum testatur.

Quid ego per omnes juris civilis partes excurram? Si lumen desit Historiae, oberrare semper tanquam in illuni noctae et caligare necesse est, cum nulla juris Civilis pars sine Historiae adminiculo consistat: Non leges 12. Tab. in quas et mores populi Romani, et nonnullae Regum leges, et jus Graecorum confluxit: Non Edictum Praetoris, quod et formulas et judicia Romanorum concludit: non Senatusconsulta, non Leges, non Plebiscita, quae, nisi omnes Populi Romani ordines, nisi comitia, nisi solennes ceteri Romanorum ritus cognoscantur, intelligi omnino non possunt: Non innumerae Jurisconsultorum locutiones, quae ex antiquitatis cognitione dependent.

Magnum est, quod nunc attigi, Adolescentes, idque exempla ex libris juris petita graviter luculenterque confirmant. Ait Ulpianus (*d*). *Eos, qui judaicam superstitionem sequuntur, Divi Verus et Antoninus honores adipisci permiserunt.* Quinam vero ii sunt, quos judaicae superstitionis arguit Ulpianus? Frustra hic aut glossas Accursii, aut Bartoli commentarios in subsidium vocabis. En, quam nobis interpretationem suppeditat Historia. Ethnicus homo, et nominis Christiani hostis acerrimus, Ulpianus, Christi fidem per summum scelus *superstitionem judaicam* appellat, idque solenne olim fuit apud Idolorum cultores Christianae fidei nomen. Ait idem ipse Ulpianus, (*e*) uxorem ab hereditate Viri *abstinuisse*. Quid ita? Tacet Accursius. At vide, quantum Romana prosit Historia. In ea *specie* mulier coemtione in manum viri convenerat; mulier autem viro coemto sua heres erat, ac proinde *abstinere* dicebatur. (*f*) Ait Scaevola, (*g*). Senatusconsulto caveri, *Ne quis imaginem Impera-*

(a) *Extat libellus Martini Schookii* de figmento legis Regiae.
(b) *l.* 60. *de Jure dot. l.* 7. *de Tut. et Curat.*
(c) *tit.* XI. §. 20. *Vide Revar. Varior. lib.* 2. *c.* I.
(d) *l. generaliter* §. *fin. ff. de Decurionibus.*
(e) *l. Lucius et l. Thais*, §. *Stichus de Fideic. libert.*
(f) *Aulisius noster ad tit. ff. soluto matrim. p.* 1. *Rubric.*
(g) *l.* 38. *de injuriis.*

peratoris in invidiam alterius portet. Quid hoc? Delirant Glossae. At certe eos spectat Consultus, qui in novi Imperatoris injuriam defuncti Caesaris imaginem colunt: quod factum quandoque apud Romanos vetus testatur Historia (*a*).

Sed ne ego stultus, qui in re satis plana et expedita tam multo sermone laborem, cum totam hanc caussam uno verbo possim concludere. Tanta Romano juri adhaeret elegantia, tanta adnectitur eruditio, ut, quibus haec desunt adjumenta, ii frustra se Jurisconsultos sperent futuros. Et quidem his praesidiis destituti veteres Juris interpretes, etsi reliquis praestarent ingenio, interdum tamen pueriles nugas, et aniles dedere fabulas, quae Viris elegantioribus modo risum, modo stomachum movent. Porro quis non rideat Accursium, sive ubi legem Regiam ab Hortensio Oratore latam putat, sive ubi fabulatur, Pyrrhum Macedonum Regem intulisse bellum Romanis, sive ubi Justinianum ex eo dictum Flavium ait, quod flavi esset coloris? Quis non irascatur Bartolo, ubi Tyberim Fluvium ab Imperatore Tiberio dictum autumat? Quis ferat Castrensem, ubi Papinianum scribit ab Antonio Triumviro interfectum, qui biscentum amplius annorum spatio Papinianum praecessit? Quis patiatur Porcium, ubi hanc fuisse caussam existimat, cur Justinianus Imp. Pegasianum Senatusconsultum transfuderit in Trebellianum, quod Trebellium magis, quam Pegasum dilexerit? (*b*) At haec nimirum illa praesidia sunt, quibus instructus Cicero triduo se jus Civile professurum pollicebatur: Haec illa, quibus Andreas Alciatus, quo praeter ceteros uno gloriatur Italia, primus Jurisprudentiam pene jacenten excitavit, erexit, ornavit. Haec illa, quibus Cujacius veteres Jurisconsultos adeo feliciter expressit, ut in eo uno revixisse omnium ingenia videantur: Atque haec eadem illa sunt, quibus facile fuit Antonio Goveano penitus adeo legum sensus introspicere, ut, etsi is quasi per jocum ad jus Romanum accessit, vel ipsi tamen Cujacio invidiam fecerit ac pene metum.

Quae cum ita sint, serio seduloque vos moneo et exhortor, rogo etiam atque oro, optimae spei Adolescentes, per eam ipsam artem, de qua dixi apud vos, per vota Civium; et Patriae splendorem, per ingenium vestrum ac dignitatem, ut rude id genus hominum, qui politioribus literis irascuntur, tanquam pestes Jurisprudentiae refugiatis. Ponite vobis ante oculos veteres illos Prudentes Viros, a quibus, tanquam ab uberrimis fontibus, omnis ad nos Jurisprudentiae cognitio emanavit, Ulpianos, Paulos, Papinianos.

C 2 Imi-

(a) *Suet. et S. Ambros. apud Raevard. 2. conject. 6.*

(b) *Vide multa id genus apud Henricum Hahnium in Orat. de Usu Chronologiae ac Hist. in jure privato.*

Imitemini gravissimos illos juris Interpretes, qui jurisprudentiam pene intermortuam literis humanioribus excitarunt, Duarenos, Hotomanos, Cujacios, Goveanos. Adite latinae elegantiae fontes, qui, nisi aberrare ad alios velitis, patent vobis in ipsis veterum Jurisconsultorum fragmentis, in quibus elucet vetus illud ac severum latini sermonis ingenium. Recolite memoriam veterum temporum, pro quorum varietate jus Civile Romanum faciem mutavit, et nomen. Hoc agite: In hoc contendite: Hoc urgete. Ita nihil erit in summa rerum copia et varietate aut tam parvum ac tam minutum, aut tantum ac tam abstrusum, quod aut vestram diligentiam lateat, aut fugiat intelligentiam: Ita dabitur vobis altius assurgere ac nova tentare; quamquam enim disertissimi quique omnium aetatum Viri, quicquid erat ingenii, industriae, eruditionis, ad hanc artem attulerint, haud tamen efficere potuerunt, ut omnem posteritati materiam praeriperent. Nihil est, quod desideretis. Ea estis aetate, quae et valet ingenio, et pollet memoria. Habetis Regem Carolum VI. Austrium, qui cum omnes literarum cultores, tum maxime cultores juris et spe dignitatum excitat, et fovet patrocinio, et praemiis confirmat. Habetis Proregem Aloysium Thomam de Harrach, qui Neapolitanum hunc Senatum summis Jurisconsultis ornavit. Habetis Praefectum Caelestinum Galianum, qui et bonarum artium studia instauravit, et spem injicit, futurum tandem, ut ad pristinam dignitatem assurgant. Habetis exempla luculentissima, quibus tanquam stimulis ad gloriam adigamini. Senatores Amplissimos, Sapientissimos Professores. Attollite igitur animos et ad summa quaeque contendite, nihil est enim tam alte positum, quo eniti humana non possit industria.

ORA-

ORATIO

IN REGIA NEAPOLITANA ACADEMIA

POSTRIDIE NONAS NOVEMBRES HABITA PRO SOLEMNI STUDIORUM INSTAURATIONE VIRO AMPLISSIMO BERNARDO TANUCIO CAROLI BORBONII REGIS NEAPOLITANI A SECRETIS DICTA.

Quum multis nominibus, tum eo vel maxime Oratio haec mea debetur tibi, quod ea in conspectu tuo sit habita, Bernarde Amplissime. *Et vero quantum ei, Deus bone, adventu tuo ornamentum accessit! Quis futurum speraret, ut Vir omnium pene Regiorum Consiliorum particeps, cui proinde ne hora quidem una publicis negotiis vacua decurrit, ad Orationem hanc meam aures animumque demitteret? Ego quidem ubi te advenientem prospexi, abrupto Orationis cursu continuo ac diu substiti addubitans, num tu is esses: ac nisi tot Patricii Viri, tot Senatores, tot Professores, qui in corona erant, adsurgentes tibi obsequentesque te eum esse taciti monuissent, diutius haesissem animo. Ego de beneficio isthoc tuo gratias tibi ago maximas, atque habeo, eamque ipsam Orationem, quam pro benignitate tua bona cum venia exaudisti, grati animi testimonium, quale possum hoc tempore, tibi venerabundus inscribo. Vale.*

Quum sapientissimi Regis nostri consilia eo spectent omnia, ut Civitati huic universae quam optime prospectum velit; quod is vel in ipso bellorum motu nobis, qui publico aucti stipendio liberales artes profitemur, suis ad Caelestinum Galianum literis spem pulcherimam injecit, fore nos aliquando fortunae ac dignitatis accessione meliores; quodque aedes hasce amplissimas longo situ et squalore obductas nitori pristino reddidit, atque ad communem scholarum usum restituit; est id argumento plane maximo, ingenuas facultates ad gerendam bene Remp. plurimum habere utilitatis. Egregium hoc factum Principis quo est illustrius, eo majores mihi animos addit, ut solemni hoc recurrente die rudes illos atque agrestes homines acri oratione exurgendos aggrediar, qui, quum toti sint aut in re familiari amplificanda, aut ea per luxum et nequitiam disperdenda, bonis literis irascuntur, nosque earum cultores tanquam in Rep. otiosos derident, ac parum abest, quin labem ac perniciem Civitatis appellent. Neque ego hostem finxi, quem feri-

ferirem : habet insana isthaec capita omnium seculorum memoria, et nos haec etas habet. Itane vero impudentissimi homines dignitatem nostram arrodent? Nos in Rep. otiosos? At ita me Deus amet, absurdissimam istam opinionem, ne latius manet, quantum ingenio conniti potero, quantum voce contendere, vobis arbitris, Auditores, convellam, notamque turpissimam honestissimo literatorum nomini adspersam detergebo. Sic igitur habete, nullam sine literis diu ac tuto stare posse Remp. Hæc me, quantum facultas mea feret, Philosophico dicendi genere disserentem iis animis atque auribus attendite, quibus in re maxima uti consuevistis. Nostra res agitur, Professores: vestra quoque, Senatores; et vero etiam vestra, Adolescentes.

Age vero quantum habet Respublica a literis adjumenti? Civitatem novam animo fingamus, Auditores, eamque sic instituendam suscipiamus, ut ad bene beateque vivendum nihil esse reliquum videatur. Ferendae primum sunt leges, non enim ulla sine certo jure societas consistit. At quales leges? Nempe utiles, et honestae. Quis est autem, qui se utiles, atque honestas leges laturum speret, nisi is Philosophorum libros adierit, quibus de utili, et honesto in utramque partem disputatur? Jam leges nemo utiles dixerit, nisi probentur in vulgus, nec nisi ad ejus ingenium factae probabuntur. Quoniam vero diversa sunt gentium studia, neque enim omnibus idem natura ingenium finxit, neque eadem omnes disciplina conformavit, quis non videt, easdem certe leges facile pati omnes non posse? Asiana ingenia ad servitium educta tyrannos ferunt: at Romani ad libertatem instituti, si quando premi se sentiant, urbanos motus cient, in arma ruunt, intendunt faces, extrema omnia minantur. Praeterea quum variae sint Rerump. formae, neque una omnium sit ratio, quis non intelligit, iisdem legibus contineri omnes non posse? Dum Romana stabat libertas, dominis, ac patribus datum familiis suis cum imperio praeesse, eratque illis impune in servorum, ac liberorum corpora ad necem desaevire: substitit tamen illa effusa saeviendi licentia, quum omnis in unum potestas concessit: Nempe aliud popularis Resp., aliud Monarchia exposcebat. Cognoscendum est igitur ingenium populi, et forma Civitatis: verum ea nosse Philosophi est, suntque ea ex Platone, Aristotele, Polibio, Cicerone, ac Tacito repetenda. Philosophia igitur publica regat consilia, eique comes addatur Historia, quae origines, incremente, status, conversiones, interitus, et arcana omnia Rerump. fata retegat, exemplisque luculentissimis praeluceat in futurum. Ita Augustum ferunt (a), quod sibi tem-

pus

(a) *Suet. in Aug.*

pus ab imperio daretur, id in librorum lectione collocasse, et ne illud quidem tempus publica utilitate vacuum dilaberetur, sectari eum consuevisse praecepta, et exempla, quae facere ad Rempublicam viderentur, eaque ad verbum descripta mittere ad urbanos Magistratus, et ad Praesides Provinciarum, et ad ipsos bellorum duces, sicque illos admonere, quid esset eis in otio, et pace, quidve in expeditione, et in castris agendum. Sed quo maneant homines in officio, non satis videtur esse poenarum metus, aut spes praemiorum, quae duo solent leges munire, nisi mentes ratio subeat, cujus tacito testimonio admoneantur, quamque malefactorum testem sentiant, ac vindicem; multi enim, quod experimento compertum est, ita animum abjiciunt suum, ut vitam malint per luxum ac desidiam transigere, quam labore ac virtute ad honesta praemia contendere, multi vero, quod aut gratia, aut opibus valeant, se se poenas elusuros confidunt. Quod si semel ratio mentem ad justitiam componat, difficile est arcanam conscientiae vim excutere. Animos autem format Ethica, praecipua illa Philosophiae pars, quae ad vitae ornatum, ac disciplinam pertinet, quamque vitiorum expultricem antiqui Sapientes dixere. Eam artem cives arripiant, ea imbuantur, sicque in animum inducant suum, potissimam humanae felicitatis partem in virtute positam: nihil bonum, nihil utile, nihil pulcrum, jucundum nihil, quod non honestum: licere nemini per eblandita suffragia subrepere ad honores, sed tum demum accedere virum bonum ad Rempublicam debere, quum id ex usu publico futurum prospexerit: sapientis esse nec secundis rebus efferri, et insolescere, neque adversis abjici et concidere: crimen esse alterius commoda intervertere, facinus in alienas fortunas invadere, scelus saevire in hominem, nefas in Principem, aut Patriam conspirare: praeclarum esse pro Rege, et pro Patria res suas omnes, et vitam in periculum adducere, et sexcenta id genus alia, quae si desint, et familias, prima Rerumpublicarum rudimenta, et Civitates, et Regna, et Imperia inclinare ac labi necesse est: tantum habet moralis Philosophia in Republica momentum; ut nec satis commendem veteres Graeciae Philosophos, qui, quum ita studiorum rationem instituissent, ut Reipublicae commodis inservirent, eam Philosophiae partem, quae tota posita est in natura, leviter ut plurimum attigere, ejus partis quam studiosissimi, quae hominum officia persequitur; nec satis demirer aetatis nostrae adolescentes, qui summo Reipublicae malo honestissima haec studia fastidiunt: Nec parum ad animorum cultum conducit Metaphysica, mens enim naturae vitio ad malum prona, ac solo sensu percipere adsueta, sensu ipso ita abripitur, ut Divinam pene oblita originem in rebus cadu-

caducis et fluxis obfirmata consistat: quo quid magis exitiosum dici, aut fingi unquam potest? At Metaphysicam sequuta ducem Divinam vim suam exerit, ac supra mortalem naturam adsurgens se ipsam, ac Deum, et purissimas illas mentes Dei comites, atque administras contemplatur, sicque a terrenis abducta terrena despicere consuescit. Instructis ita ad honestatem animis, est de civium corporibus laborandum; quoniam enim ita nos finxit naturae auctor Deus, ut mente constemus, et corpore vix est, ut appositi esse ad tuendam societatem possimus, nisi mente satis et corpore valeamus. Quis est autem, qui non sit vel alieno, vel suo etiam ipsius periculo expertus, quam saepe, et quam graviter aegrotemus? At praesto est saluberrima illa ars Medicina, quae in morbos, et medicamenta, abditasque eorum caussas inquirens valetudinem aut servat integram, aut restituit laborantem. Accedat huc Physica eo vel nomine in Civitate retinenda, quod Medicinae tanquam fundamentum substernatur, ejusque emolumenta plane faciat meliora. Sed et illud ex ea commodi in Rempublicam redundat, quod praejudicatas vulgi opiniones, unde publicus quandoque metus ac perturbatio, ex naturae principiis dispellat. Romae supplicationes publice decerni solitae, sive quod lapidibus plueret, sive quod sol plus nimio ruberet, sive quod tenebrae subito oborirentur, sive quod luna deficeret; nec viri modo, sed et ipsae mulieres ad Deorum Templa edicto evocatæ caelestes iras a se, liberisque suis, ac Romano Populo universo deprecaturae (*a*), perque id tempus a maximis Reipublicae curis cessatum (*b*). Qud si vero quis naturam bene doctus trepidanti populo demonstrasset, nihil in iis esse ab irato Numine reformidandum, sed omnia ex certo naturalium caussarum concursu fieri, plane nihil fuisset caussae, cur imperiti cives paverent, diesque perpetuos publicis negotiis subterfurarentur. Ita Athenas defectione solis tanquam ominoso portento solicitas, sibique a Diis interitum metuentes, Physicae bene sciens Pericles vana religione exsoluit (*c*). Ita Romani, Paulo bellum adversus Regem Persen gerente, fracti animis, quod Luna repente visa langnescere triste aliquid portendere videretur, Sulpicii Galli sapientis viri oratione confirmati excusso metu concurrunt, hostemque perfringunt, sicque in mortalem illam Paulianam victoriam Galli peperit Philosophia (*d*). Hucusque literae animorum, corporumque vitiis consuluere. Sed quam multa alia ad usum vitae sunt opus? agros colere, tempus, et loca internoscere, aedificia extruere, ad exteras gentes commer-

(a) *Liv. x.* 23. *xxxviii.* 36. *xl.* 5.
(b) *Coel. Cic. Fam. viii.* 11.
(c) *Val. Max. viii.* 11. (d) *Val. Max. ibid.*

merciorum caussa terra marique commeare, urbem contra hostilem impetum tueri, in hostem perrumpere, nostra per injuriam occupata ferro vindicare, et, quod non est in optima Civitate praetereundum, editis publice spectaculis labores hominum consolari. At haec omnia maximam partem a literis petuntur. Astronomia ex Caelorum conversionibus, varioque siderum motu navigationum cursus dirigit, agriculturam adjuvat, metitur tempora, festos dies, omnemque definit Kalendarum rationem, quae tamdiu majores nostros exercuit; Geographia loca, et imperia suis quaeque finibus concludit. Architectura aedificandi scientiam praestat. Arithmetica mercaturam facit expeditiorem. Geometria arces munit, et expugnat, eaque arte Archimedes Marcellum Syracusas obsidentem per triennium elusit. Poetica in scenis effecta vel Principum virorum, vel mediae, et imae fortunae hominum vita animos civium diurnis curis defatigatos reficit, recreatque. Musica vocem dulci modulatione conformans mira suavitate sensus perfundit. Quoniam vero huc mea evasit oratio, facere non possum, Auditores, quin corruptos temporum nostrorum mores accusem. Principio Vatum erat Deos, et Heroes canere, de vita ac moribus philosophari, resque ab ipsa natura involutas inquirere, et explicare, unde et Theologi, et Sapientes dicti. At plerique fato nescio quo in deteriora semper prolapsi eo tandem venere, ut nisi ludrica, aut amatoria, aut etiam foeda sibi concinenda proponerent, haud se Poetarum nomine dignos existimarent. Musici quoque olim Phrygio cantu milites urgebant in praelia: Dorio libidinis aestum restinguebant: Lydio exacuebant mentes, atque ab humanis avocabant ad Deos: Aeolio demum perverso motu jactatum animum suaviter periclitabant, quousque motus ille perversus resideret. Sunt haec, ne quis forte putet, me aut ficta, aut vana obtrudere, veterum monumentis testata. Phrygio cantu Timotheus Alexandri Regis convivio adsidentis animum ita inflammavit, ut tandem is prosilierit ad arma: tum Aeolio ad convivium revocavit. Sic ebrium, et furentem juvenem Pythagoras, phraeneticos Asclepiades Medicus, limphaticos Xenocrates musica arte sanitati restituerunt (a). At nostro hoc aevo Musica aliquem licet levem in praeliis usum habet: ut plurimum vero est ad solam jucunditatem comparata. Et quamvis non parum jucunditate hac sola in publicum conducat, quod vix beata hominum vita judicio sapientum videatur, quae jucunditatem non habeat admixtam, (b) est tamen illud jure pertimescendum, ne plus nimio mollis temporum nostrorum Musica civium mores corrumpat potius, quam formet, sicque in magnum Reipublicae malum evadat.

(a) *V. Ant. Majorag. Orat.* XXIII.
(b) *Arist. Moral. Eudem.* I. I.

dat. Et utilem certe operam praestarent Mathematici, quos nostra haec Academia habet doctissimos, si musicas veterum rationes revocarent. Me interea adversam vicem Poeticae, ac Musicae indolentem solatur illud, quod ceterarum graviorum artium commoda sunt nostra hac aetate uberiora. Nam et multa veterum vitia longo usu retecta, et novis inventis instructae artes. Geometrica Methodus in Physicam: Mechanica in Medicinam invecta. Microscopio Anatome: Astronomia telescopio: nautica acu navigationes adjutae. Mechanica novis machinis, Physica experimentis, Bellica instrumentis adauctae. Sed quid ego duas ingenuarum artium facile principes praeterii, Dialecticam, et Eloquentiam? Hae per omnes vagantur, neque ulla est ars, quae sine iis dignitatem suam retinere possit, ac nomen. Et vero quis est, qui aut Philosophiam, aut Jurisprudentiam; aut Mathesin, aut Medicinam probe tenere se dicat, nisi is mentem Dialectica sic habeat instructam, ut verum a falso dijudicet, sophistarumque cavillationes devitet? Eloquentia vero ceteris disciplinis lumen addit, ac pondus. Et sane, ubi nullus est in verbis nitor, nulla in sententiis dignitas, quam sordent omnia! Quam parum ad permovendos animos valent! Quod si eloquentia in aures, animosque suaviter influens primum homines in agris more ferarum vagantes a foedo concubitu ad auspicata connubia, a ferino errore ad certas sedes, ab immani arbitrio ad commune foedus, ab agresti vita ad civilem cultum traduxit (a), quanti eam constitutis civitatibus futuram putemus? Ea populos fecit Magistratibus obsequentes, suasit leges, intestinas turbas, et externos motus coercuit, gentesque, et Imperia aut a servitute turpissima, aut ab effera vastitate vindicavit. Testis est Graecorum ac Romanorum historia. Lacedaemones a Messeniis jam tertio fusi, jamque eo adducti, ut spes prope nulla esse reliqua videretur, Tirtaei Atheniensis Poetae eloquentia erecti continuo se se colligunt in arma, in castra alacres ingruunt, feroces irrumpunt, hostem profligant. Bruti eloquentia exacti urbe Tarquinii, et Patria in libertatem asserta. Iratam Patribus plebem, armaque ferocissima conspiratione intendentem Menenius Agrippa eloquenti apologo ad mitiora consilia deflexit. Philippus, Catalina, Antonius tyrannidem Patriae affectantes Demosthenis, ac Tullii eloquentia percussi. Quid ego plura, Auditores? Vox, latus, ac dies me deficerent omnia liberalium facultatum commoda persequentem. Satis ostendunt ea, quae hucusque sunt leviter decursa, quam bene omnes ad publicam utilitatem conspirent, et quam difficile sit, earum praesidio destitutam diu, ac tuto stare Remp. Nunc quid ajunt barbari homines bonarum artium osores? Quid obloquuntur? Romani, gens omnium

(a) *Cic. de Inv.* 1. 2.

omnium solertissima Medicos, Rhetores, Philosophos tanquam Reip. pestes ex Imperii finibus proturbarunt. Ergo exemplis hanc totam transigi caussam volunt? Accipio conditionem. Quis est autem, quem fugiat, bene moratos Principes, et politissimas quasque gentes nihil ferme potius habuisse, quam ut praeclare cum literis, literatisque viris in Civitate ageretur? Florentissima omnium post homines natos Imperia fuere duo, Graecum, et Romanum; atque eadem haec duo ingenii gloria, et studiis doctrinarum facile omnibus praestiterunt. In utroque Imperio gerendo Reip. admoti non qui gratia aut opibus, sed qui vi mentis et consilii praeire ceteris viderentur. In utroque sapientissimi viri e media Philosophia arrepti aut concesserunt in castra, aut publicas legationes obiere (*a*). In Graecia Licaeum, et Academia, Romae Theatra, et Templa, Basilicae, et Curia literariis disputationibus adprobante Senatu, ac Populo personabant (*b*). Romani Caesares (si Licinium, teterrimum illud in Romano Imperio nomen, et alios oppido paucos excipias, qui alieno a literis animo fuere) maximam Reip. partem in literis positam existimarunt. Faciles ad Augustum literato cuique patebant aditus: ei nihil acceptum magis, quam cum iis versari, qui et carmina, et historias, et orationes, et dialogos afferrent (*c*), nec fecere unquam gravissima, quibus pro munere suo distinebatur, negotia, quin vacuas eis aures atque animum praeberet: is nullum eis deesse commodum, nullum deesse ornamentum patiebatur. Vespasianus Latinos, Graecosque Rhetores undique Romam accitos annuis centenis conduxit (*d*). Antoninus Pius per omnes Provincias Rhetores, ac Philosophos tot stipendiis adauctos constituit (*e*), ut unus Eumenius Rhetor sexcena nummum millia accepisse perhibeatur (*f*). Theodosio Secundo Imperium obtinente omnium artium Professores publico aere coemti Romanam juventutem in Capitolio edocebant, Oratores tres, Grammatici decem, Sophistae quinque, Philosophus unus, Jurisconsulti duo (*g*). Sed quid ego tam multis? quasi vero quisquam ignoret, potissimam in Romano Imperio fuis-

(a) *V. Alberic. Gentil. de Legation.* III. 10.

(b) *Pancirol.* VII. *Descript. Urb. Rom. thes. antiq. Rom. Graevii tom.* 7. p. 334.

(c) *Suet. in Aug.* (d) *Suet. in Vesp.*

(e) *Capitolin. in Antonin. c.* 11.

(f) *Eumenius Orat. pro restaur. Schol. c.* 11., *ubi* sexcenis millibus *legendum est, non* sexagenis, *quod mavult Casaubonus in Suet. Oth. c.* 4. *V. Gronov. de pec. vet. lib.* I V. c. 2., *et Cellar. observ. ad Eumen. Orat.*

(g) *V. Walchium. Diatrib. de var. mod. literas colendi apud vet. Rom.* §. 3.

fuisse vim literarum. Venere quidem ea tempora, quae horret animus meminisse, quum oppressa impetu barbarorum Italia elegantissima quaeque bonarum artium monumenta conflagrarunt, et si qua forte aut ferrum evadere, aut flammas potuere, desuetudine ipsa interciderunt; sicque Graeca omnis, et Latina sapientia in summa rerum perturbatione, ac Romani Imperii vastitate conticuit: at primum Carolus Magnus, tum longo post tempore Fridericus optima studia jam pene intermortua excitarunt: Et quamquam literae, quas dicunt humaniores, septincentos jam ante annos ab Italia ejectae in Graeciam profugissent, ac staret adhuc turbata illa, et perversa disserendi ratio ex Arabum ducta temporibus, et scholae passim barbaris disputationibus perstreperent, tandem vero Galeacii Vicecomitis, et Cosmi Medices beneficio politior omnis literatura in Italiam remigravit. Illi enim Viri Principes Trapezuntium, Gazam, et alios Graece sapientissimos, qui, barbarie se se in Graeciam effundente, solum vertere coacti in Italiam venerant, pro benignitate sua, et munificentia peregrinos exceperunt, obscuros eduxerunt in lucem, egenos magnis stipendiis locupletarunt: tum eorum opera usi Graecos, ac Latinos libros maximo sumtu, ac prope Regio compararunt, sicque Graecus, ac Latinus sermo, qui in foeda barbarorum colluvie inhorruerat, pristinae dignitati est restitutus. Haec mihi ad finem properanti locupletissima occurrunt exempla.. Nunc adeste huc quicumque nos, et literas nostras ridetis. Quae malum vos cepit insania? Num videtis, quanta semper fuerit apud optimos Principes cura literarum? Nos in Civitate otiosos! Tantumne ab re publica otii illis, ut quae nihil pertinerent ad eam, tantopere curarent? Egregiam vero laudem! de otiosis hominibus tanto studio laborare. Jam quid istud fuit, quam in maximis Reip. negotiis turpiter otiari? quod si nihil est in laudatissimis Principibus reprehendendum, quid mihi Medicos, Rhetores, Philosophos Roma exactos opponitis? Do ego id vobis, fuisse Medicos Roma pulsos; at si id unquam factum, eo factum ajo, quia quum Romae facere medicinam coepissent Graeci, quorum fides jam in proverbium cesserat, rem periculi plenam duxerunt Romani salutem civium peregrinis, nec certis hominibus committere: at retinuere semper artem, qua morbos depellerent, eaque usu potius, quam praeceptis ex Philosophia repetitis constabat (*a*). Atque eadem haec opinio, quam Romani de Graecis imbiberant, caussam dedisse videtur Senatusconsulto (*b*), quo Graeci Rhetores, ac Philosophi projecti sunt, ne pere-

(a) *Michaelem Baldit in specul. Sacromedic. append. alter. p. 75. edit. Lugdun.*

(b) *Intellige Senatusconsultum Fannianum. V. Suet. de Clar. Rhet. 1. et Gell. XV. 11.*

regrinis moribus in urbem inlatis patrii mores corrumperentur. Et res eo tandem devenit, ut ipsis etiam artibus odio Professorum in invidiam adductis Cato ille Censorius bonum esse dixerit Graecas literas inspicere, non perdiscere (*a*), et M. Cicero Tulli Oratoris parens, ut quisque optime Graece sciret, ita esse nequissimum pronunciarit (*b*). At barbarae gentes Asiae, Africaeque potitae nullo literarum cultu florent. Nimirum florent! Eas propius inspicite, quidque sit de illis sentiendum, videte. Eas transversas agunt ira praeceps, solicitus timor, ferox invidentia, libido mala: hinc tam facile in seditiones, ac tumultus ruunt. Verbo dicam, sed momentoso verbo, In Asia passim, et Africa societatis vinculum utilitas, et metus. Heu quam foeda Reip. facies! Quid ea est per vestram fidem, Auditores, nisi Hobbesiana illa societas hominum, qui utilitate, ac metu manent in fide, in omne scelus, quum se se dederit occasio, erupturi? At stant adhuc gentes illae in societate literarum imperitae, et valent armis. Ita vero; sed jam illae capiunt bonarum artium commoda ab Europaeis illuc advecta; quoniam autem artes ipsas ignorant, si Europaei Principes ob peculiares Imperii quisque sui rationes alio abstracti sancito foedere arma illis inferrent, certe illae sustinere impetum eorum non possent. Spartani quoque literarum omnino rudes non semel de Atheniensibus victoriam retulere: at demum eos ingenti clade afflictos ad Athenienses defecisse accepimus, idque experti didicimus, qui firmitate corporis, aut numero vincunt, eos procedente tempore solertia, et ingenio debellari. Prodeant nunc, si qui hic latent, optimis studiis iniqui homines, prodeant in conspectum vestrum, Professores optimi, sapientissimi Senatores, bonae spei Adolescentes. Illi, si quid habent, reponant. Videor ego eos audire obmurmurantes adhuc, obstrepentesque orationi meae. Sed quis tam stolide feroces homines compescat? Te ego, Carole appello. Jamne vides, quanta sit hominum audacia? Isti, quod eos despectos habeant, quos tu in patrocinium, atque adeo in fidem tuam suscepisti, factum tuum per summum scelus accusant. Isti, quod literas e Rep. ejici velint. Reip. fundamenta convellunt. Num tot amplissimi Patres, quos sola virtus ad Senatorios gradus evexit, tot gravissimi Professores, quos sola tibi sapientia probavit, tot boni Adolescentes, qui aut maria, aut longas emensi vias ad hanc urbem Imperii principem studio literarum venere, de dignitate sibi detrahi quidquam per eos te Rege patientur? Ego te per dexteram illam, per Regiam fortunam tuam, per divinum illud Magni Ludovici ingenium, quod in te jam suboriri praesentio, perque immortale nomen ejus aeque bellica virtute partum, ac patrocinio literarum, id oro, obtestorque

(a) *Plin. lib. xix. c.* 1. (b) *Cic. de Orat. lib.* 1. *c.* 66.

que, Barbaros istos homines, quod bonum, faustum; felixque sit tibi, ac bonis omnibus, ex Imperio tuo expelle, projice, extermina, et studiosos scientiarum adolescentes pro more tuo suavissimo, ac Borboniae Gentis indole complectere, fove, tutare. In Majorum tuorum, ac Philippi Patris tui gloriam intuere, teque sic ad eorum exempla compone, ut, quemadmodum illi nunquam literis defuerunt, ita tu semper adsis. Nihil tam Regium, quam literarum tutela. Literae privatas res civium curant, publicis consiliis praesunt, jura sanctissima societatum tuentur, suntque ornamenta, ac praesidia pacis, et instrumenta bellorum. Vos nunc mea compellat oratio, Adolescentes. Jam videtis, quanta spes in optimis studiis sit posita. Vos, quoniam ad ea exardetis, ea dirigite non ad privatum commodum, non ad inanem ostentationem, non ad ipsam se se pascentis animi jucunditatem (qui enim hos sibi fines proponunt, Reip. aut inutiles sunt, aut noxii) sed ad communem socialis vitae utilitatem, atque adeo ad humani generis felicitatem. Ita fiet, ut et Principis patrocinium promereri, et Reip. praesidio esse valeatis. At procul a vobis iners otium, quod omnem aetatis, atque ingenii florem depascitur; procul mollis voluptas, quae si animo illabatur, praeclaros ad laudem impetus, et omnes industriae nervos infringit. Video ego, vos ardere animis, et vobis ego, et Reip. gratulor: at illud me non mediocriter commovet, quod fieri quotannis videmus, sub initium scholae omnes toto pectore in literas incumbere, paucos vero diu propositum urgere. Quae omnia possunt ad optima studia adhortari, ea, mihi credite, abunde suppetunt hoc tempore. Adhortatur Carolus Borbonius, qualis Princeps, Deus bone! nempe is, qui, quum teterrimum bellum tres ab hinc annos ingrueret, non id modo cavit, ne quid literaria Resp. detrimenti pateretur, sed et omnes liberalium facultatum cultores in spem praemiorum erexit, et, quo maxime tempore formidolosissimi belli tempestas detonuit, ingenia excitavit, ac fovit, sicque non solum arma, ut erat ratio temporis, sed etiam literas sibi subsidio comparavit. Quod si is alieno tempore tanto studio curavit, ne quid de nostra dignitate decederet, quam bene de nobis sperare debemus hoc tempore, quo bella omnia terra marique conquiescunt. Adhortantur Senatores, qui, quod literis praestarent, in tantam lucem evasere; adhortantur Professores, qui omnem vobis operam pollicentur, ac deferunt: adhortantur parentes, propinqui, boni omnes, Patria ipsa adhortatur. Videte, num liceat vobis sub Carolo Borbonio otiari; videte, quam turpe sit, dum alii pro vobis excubant, vos longae desidiae indormire: videte, quid vobis, quid Principi, quid Patriae debeatis; videte per Deum immortalem, ne propinquorum vota, spem Civitatis, munificentissimi Regis expectationem eludatis. Haec si serio reputaveritis, bene studiis vestris praelusisse me dicam.

DISSERTATIO

DE UXORIS IN MANUM VIRI CONVENTIONE.

Uxorum *formae duae*, inquit Tullius (*a*), *una matrumfamilias*, *earum*, *quae in manum convenerunt*: *altera earum*, *quae tantummodo uxores habentur*: atque hae, uti Gellius docet (*b*), *Matronae* dictae, et non *in viri manum*, sed *in matrimonium* conveniebant. Ut haec probe intelligantur, tres illae formulae enarrandae sunt, *Convenire in manum*, *Convenire in matrimonium*, et ἁπλῶς *Convenire*. Vertranius Maurus (*c*) *convenire in manum*, et *convenire in matrimonium* pro eodem habet testimonio Gellii (*d*). At vero Gellius alteram ab altera formula aperte distinguit. Ecce ejus verba, *Probabilius est*, . . . MATRONAM *dictam esse proprie*, *quae* IN MATRIMONIUM *cum viro* CONVENISSET, *quoad in eo* MATRIMONIO MANERET, *etiamsi liberi nondum nati forent* . . . MATREM *autem* FAMILIAS . . . *quae in mariti* MANU, MANCIPIOQUE . . . *esset*: *quoniam non* IN MATRIMONIUM *tantum*, *sed* IN FAMILIAM *quoque mariti*, *et in* SUI HEREDIS *locum* VENISSET. Habes ex Gellio convenire in manum esse in familiam venire. Igitur manus potestas est: unde Ulpianus (*e*) manumittere interpretatur *potestate liberare*: ut proinde in illis Ulpiani verbis *manui et potestati* τὸ *et* particula sit explicantis, ut saepe alibi (*f*). Ex eodem Gellio habes, convenire in matrimonium esse matrimonio jungi; quod praeclare confirmant duo Papiniani loca inferius exponenda. Convenire ἁπλῶς positum accipi sic debet, ut *in matrimonium* subaudiatur. Ex latinis unus videtur Ulpianus (*g*) eo verbo usus in eum modum: et certe in eum sensum est usus: qua de re sub finem dissertationis. In manum convenire sola mulier dicitur. Id notius est, quam ut probari sit opus: in matrimonium autem convenire apud Hebraeos utrumque conjugem dici, Cl. Mazochius (*h*) tradit, apud Romanos mulierem solam; sed continuo addubitans addit,

(a) *Top. cap.* 3. *n.* 14.
(b) *Noct. lib.* 18. *cap.* 6.
(c) *In Tacit.* 4. *ann.* 16.
(d) *d. lib.* 18. *cap.* 6.
(e) *l.* 4. *de J. et J.*
(f) *l.* 1. *de praescript. verb.*
(g) *l.* 17. *D. rer. amot.*
(h) *Disput. de rit. spons. n.* 15.

addit, illud Arnobii (*a*) *Cum in matrimonium convenitis*, de utroque conjuge intelligendum. At vero nullus dubitationi locus. Aeque apud Romanos, atque apud Hebraeos uterque convenire in matrimonium dicebatur. Auctor mihi Servius (*b*), cujus sunt haec verba, *Quae res ad farreatas nuptias pertinet, quibus Flaminem, et Flaminicam in matrimonium necesse est convenire. Sciendum tamen, in hac conventione Aeneae atque Didonis etc.* Itemque haec, *Mos apud veteres fuit* FLAMINI *et Flaminiae, ut per farreationem in nuptias* CONVENIRENT.

Placet, antequam alio hinc habeam, aliud subjicere, quod mox in rem erit. Materfam. ac matrona id habent commune, ut utraque in matrimonium conveniat, quod utraque matrimonio jungatur; sed haec tamen tantum in matrimonium convenit, illa etiam in manum. Apposite Gellius de matrefamilias, *Quoniam non in matrimonium tantum, sed in familiam quoque mariti venisset.* Ideo te monitum volui, ne, si ubi scriptum reperias, mulierem convenisse in matrimonium, temere putes, eam in manum non convenisse. Quo sic sentias, necesse est, ut vel ea formula particulam *tantum*, aliamve similem habeat adjunctam, vel ita postulet contextus ipse orationis.

At quibus modis convenire in manum dicebatur uxor? Coemtione conventum in manum, ambigit nemo. Cicero (*c*), Servius (*d*), et Boethius (*e*) id disertissime docent. Idem de usu Tullius tradit (*f*). Verba ejus sunt, *In manum convenerat. Nunc audio. Sed quaero, usu, an coemtione.* Si praeter usum, et coemtionem alius fuisset modus, quo in manum conveniretur, in ea caussa erat Cicero, ut tacere de eo omnino non potuisset. At vero Ulpianus (g) *Farre*, inquit, *convenitur in manum*. Farris non meminit Cicero: contra Ulpianus farris tantum meminit, non item usus, aut coemtionis. Longe alia Servio mens fuit. Is (*h*) tribus modis factas olim nuptias ait, usu, farre, et coemtione: sed coemtioni tantum tribuit conventionem in manum. Idem cum Servio Boethium sensisse, Sigonius (*i*), Pithoeus (*k*), et Mazochius

(a) *In Adv. gentes altero.*
(b) *In lib. 4. Aeneid.* 113.
(c) *pro Flac. cap.* 34. *n.* 84.
(d) *in lib.* 1. *Georg. v. et in lib.* 4. *Aeneid. v.* 103.
(e) *in Top.* 3. (f) *ibid.*
(g) *in Fragm. tit.* 9.
(h) *in lib.* 1. *Georg.*
(i) *de ant. Jur. Civ. Rom. lib.* 1. *cap.* 9.
(k) *in Collat. LL. Mosaic. tit.* 16. §. 2.

thius (a) putant. De Ulpiano primum dicam. Ejus locum nunc non extare integrum rectissime suspicatur Mazochius (*b*). Et quis adduci potest, ut credat Ulpianum de solo farre loquutum sub Titulo *de his*, qui in *manu sunt*, qui multo latius patet. Is Titulus argumento est mihi mutilum esse fragmentum illud, quaeque de coemtione, atque usu porro addiderat Jctus, ea temporis injuria intercidisse. Ad Tullium venio, qui usu conventum inquit in manum: quod negare Servius videtur, et ex sententia Sigonii aliorumque Boethius certe negat. Eos in concordiam hoc pacto adducunt viri docti, quibus ab Heineccio (*c*) et Mazochio (*d*) subscriptum. Cicero de uxore loquitur jam usucapta, nempe de ea, quae per annum integrum fuerat cum viro: Servius, et Boethius de ea, quae nondum fuerat anno uno apud virum, sive quod annus a contractis nuptiis non esset adhuc dilapsus, sive quod toto trinoctio abnoctasset a viro.

Reliqua nunc est disputatio de farre, quae et uberior, et subtilior est. Farreatas uxores in potestatem virorum transisse multi ajunt: negant vero multi. Novissime in hoc argumento versati sunt Heineccius (*e*) et Mazochius (*f*), quorum hic posteriorem sententiam, ille tuetur priorem. Heineccius (*g*) productis Dionysii verbis ostendit farreatam uxorem participem fuisse sacrorum viri: tum (*h*) ex ea sacrorum communione transitum uxoris infert in familiam ac potestatem viri, laudatque in eam rem Pauli locum (*i*), et formulas illas apud JCtos protritas, *in parentum sacris esse constitutum*, *in gentem et sacra alicujus transire*, *sacris paternis absolvi* etc. optima sane ratio. Sed de Dionysio mox latius. Ait etiam Heineccius (*k*) *auctores omnes fateri uxorem* (*farreatam*) *convenisse in manum*: *manum vero in jure significare potestatem*: *quod et tralatitium esse* inquit, et ex Gellio, Ulpiano, et Servio confirmat. Posterius hoc plusquam manifestum est: prius illud ab Heineccio confidentius dictum; plane enim Tullius non ait uxores farre in manum convenisse; neque id Servius ait: et prope abest, ut negent: quin Sigonio, Pithaeo, et Mazochio auctoribus id Boethius aperte negat, ac Mazochio interprete etiam Servius. Sed de Boethio ac Servio infra. Certe Heineccius tanquam indubium supponit confarreatione conventum in manum: de eo autem disputat, num quae uxor farre conveniebat in manum viri,

(a) *d. Diatrib.* 2. *n.* 7. (b) *N.* 7.
(c) *In Syntag. Antiq. init. de nupt. n.* 14.
(d) *d. not.* (*IV*). (e) *Num.* 6. (f) *Num.* 7.
(g) *Num.* 4. (h) *Num.* 6. (i) *L.* 11. *de lib. et posthum.*
(k) *Num.* 6.

viri, ea in viri potestatem cederet: quod periude est, ac si quis de eo quaerat, de quo non ambigit. Jam de Tullio, qui usu quidem et coemtione conventum inquit in manum, silet autem omnino de farre, sic coniicit Heineccius coemtionem in confarreatione adhibitam, veluti accessionem: quodque ita viderentur ii ritus non diversi inter se, eo factum, ut omiserit Cicero confarreationem. Sed vix est, ut Heineccii conjectio consistat; primum enim quo auctore ait is confarreationi coemtionem accessisse? Plane nullo: deinde qui fuit istius accessionis finis? Num is, ut vir quae uxoris erant, ea haberet omnia nomine dotis, haec autem in illius familiam transiret? At judicio Heineccii hic idem erat confarreationis effectus, ut prorsus inutile esset superaddere coemtionem. Num alius? At cedo quis? Ego nullum invenio. Ac de Heineccio satis.

Cl. Mazochius primum verba illa Boethii in medium affert, *quae in manum per coemtionem convenerant, hae matresfam. vocabantur: quae vero usu vel farre, minime*: post quae Mazochius: *quomodo ergo hae vocabantur? Matronae*: tum addit ea Servii (a), *quae res farreatas nuptias pertinet, quibus Flaminem, et Flaminicam jure Pontificio in matrimonium necesse est convenire*. Farreatae uxores *matronae* olim dictae, Boethio teste: eaedemque in *matrimonium*, teste Servio, conveniebant: qui autem memoriam recolit eorum, quae de matrefam. ac matrona, quaeque de in manum et in matrimonium conventione tradita sunt, sub initium dissertationis deprehendet sane is uxorem Boethii ac Servii judicio in viri manum farreatis nuptiis non convenisse. Objicit quidem sibi vir summus descripta jam Ulpiani verba, *farre convenitur in manum*; sed haec tamen reponit, farreatione sola non conventum in manum, sed coemtionem necti cum illa solitam eo fine, ut in manum conveniretur. Id colligit ex Servio (*b*) qui ubi dixerat de coemtione, postremo et farris ritum permiscuit iis verbis, *quae res ad farreatas nuptias pertinet*. At ego non video, quid sit in adscriptis Boethii ac Servii verbis, quod Cl. Mazochii sententiam juvet. Verba Boethii sunt, *quae* (uxores) *in manum per coemtionem convenerant, hae matresfam. vocabantur*. In his sunt duo illa, *in manum convenerant*, et *vocabantur*. Continuo apud Boethium sequuntur haec, *quae vero usu vel farre, minime*. Ecquis est, qui non intelligat, post τὸ *farre* subaudiri debere prius illud, *in manum convenerant*, ac post τὸ *minime* posterius illud, *vocabantur*? Iis autem subauditis jam duo a Boethio docemur, unum, usuarias aut farreatas uxores haud fuisse matres-

(a) *Ad Aeneid.* 4. *v.* 103.
(b) *Ad Aeneid.* 4. *v.* 103.

tresfam. appellatas; quod Mazochio favet: alterum, eas in manum convenisse; quod contra Mazochium aperte facit. Alterutrum esse falsum necesse est: propius autem abest a vero Boethium latuisse, quid proprie Latinis esset *materfamilias*, quidve *matrona*, maxime quum de eorum verborum significatione non convenerit inter antiquos latinarum vocum enarratores (*a*). Saltem is, quod pugnantia dicat, in neutram partem recte potest testis produci. Hactenus dissertata planissime demonstrant, et minus apta inter se esse Boethii verba, et Sigonium, Pithoeum, aliosque ad ea animum non attendisse. Ceterum aliunde compertum habeo in ea opinione Boethium fuisse, coemtione sola conventum in manum. Ecce tibi alterum Boethii locum, *itaque mulier viri conveniebat in manum, et vocabantur hae nuptiae per coemptionem*. Jam vero locus Servii a re, quam agimus, omnino est alienus. Flaminem et Flaminicam farreatis tantum nuptiis jungi oportuisse Servius inquit. Quid hoc ad rem nostram? At enim *in matrimonium convenire* ait, non *in manum*. Vere, sed primum ex eo, quod mulier convenisse in matrimonium dicatur, colligi tuto non potest, eam in manum non convenisse secundum ea, quae praemonui sub initium dissertationis: deinde illud aeque de viro ac de uxore Servius ait, non de uxore sola. Ecce ejus verba, *quibus* (farreatis nuptiis) *Flaminem et Flaminicam in matrimonium necesse est convenire*. Si de uxore sola dicas eam *in matrimonium convenire*, conficere hinc forte possis eam non *convenire in manum*: idem si de utroque conjuge dicas, non item. Sane utrique prior illa phrasis recte convenit, ut principio dictum, nam uterque nuptias faciunt, non posterior, nam vir non convenit in manum. Nunc quum ii, quos Mazochius laudat auctores, opinionem ejus nihil juvent, quis est, qui Ulpiani de farre locum tam dure cum Mazochio interpretetur? Et ego quidem facere non possum, quin mirer Cl. Virum sic Ulpianum interpretari, ut in eo sit genus illud Elenchi vitiosissimum *non caussa pro caussa*, quod in Grammaticis confarreationem a farre derivantibus tanquam non ferendum notavit. Num veri speciem habet disertissimum JCtum farri tribuisse, quod coemtioni tantum erat tribuendum, nullo modo farri? Num is adeo ineptus, ut in tit. *de his qui in manu sunt*, quo capite de coemta, usucaptave tantum uxore judicio Mazochii agendum erat, de *farre* ac *solenni sacrificio farreoque pane* mentionem habeat sane inopportunam? Est quidem mutilum caput illud Ulpiani, interciderunt que ea, quae de usu et coemtione addiderat JCtus; quod vero is initio capitis confarreationem proponit, id

(a) *Mazoch. d. diatr. n. 7.*

id indicio est non obscuro eo maxime modo conventum in manum. Porro persuaderi mihi haud facile potest, quod Heineccius, et Mazochius persuasissimum habent, additam confarreationi coemtionem. Servii testimonium, quo eam accessionem probat Mazochius, in hunc modum habet, *coemtione facta mulier in potestatem viri cedit . . . . quae res in manum conventio dicitur . . . . quae conventio eo ritu perficitur, ut aqua et igni adhibitis, duobus maximis elementis natura conjuncta habeatur*. Haec Servius de coemtione. Verum is continuo farris ritum permiscet his verbis, *quae res ad farreatas nuptias pertinet*: unde coemtionem confarreationi accessisse is infert. At ex quo loco infert is conventum in manum non farre solo, sed coemtione, quae inerat confarreationi; ex eo ipso loco diligentissimus Pithoeus (*a*) colligit solo farre conventum in manum; ut vel ex hoc intelligas esse eum locum sane tenebricosum. Certe cursus orationis haud prono defluit alveo. Subvereri etiam possis, ne qua pars ejus deperierit, aut sit foede corrupta vitio librariorum, a quibus in describendo Servio saepe et graviter peccatum. Nunc quoniam ex iis verbis, uti sunt scripta, inquirendum est nobis in ejus mentem, videamus, quo spectet illud *quae res*. Duo praecedunt, *coemtio*, et *in manum conventio*: at posterius hoc minus longe distat; magis est igitur, ut τὸ *quae res* ad *in manum conventionem* referatur, sitque Servii sensus non is, quem illi Mazochius affingit coemtionem pertinere ad farreatas nuptias, sed hic in manum conventionem, uti ad coemtionem, ita ad farreatas nuptias pertinere, quasi scriptum sit, *quae res* (puta in manum conventio) *et ad farreatas etc.* Id voluisse Servium fatebitur Mazochius ipse aequus rerum aestimator, si probavero nullam fuisse caussam, quamobrem cum confarreatione coemtio necteretur: id autem evincam demostrando, uxores farre solo in manum convenisse.

Age nunc id demonstremus. Ulpiani loco, quo nullus illustrior, duo addam, alterum Dionysii, alterum Taciti. Et Dionysii quidem locus is idem est, quem Heineccius citat: sed erit operae pretium in eo aliquantisper immorari. Dionysius Romiliam legem recitat in haec verba, *mulier nupta, quae ex sacratis legibus in manum viri convenit, cum eo omnium et bonorum et sacrorum particeps esto*. Vides agi eo loco de uxoris in manum viri conventione. Nunc vide, quid commentetur Dionysius in eam legem, *vocabant antiqui sacras nuptias confarreationem a farris communicatione*. Hinc facile intelligis in manum conventionis caussam fuisse apud antiquos confarreationem: intelligis etiam τὸ anti-

(a) *In collat. Ll. Mosaic. tit.* 16. §. 2.

antiqui apud Dionysium ad Romuli aetatem spectare: qua aetate nulla erat viri et uxoris coemtio, quae accederet confarreationi. Et vero eam non meminit Dionysius, qui non poterat eo loco non meminisse, nec quisquam alius antiquae rei Romanae scriptor. Porro imaginaria erat ea coemtio, unde *quasi emtio* Servio (*a*) dicta: omnes autem imaginariae Romanorum venditiones XII. Tabulis antiquiores non sunt, uti emancipationis liberorum, et emtionis familiae exempla commonstrant. Jam vero Tacitus tres omissae sub Tiberio confarreationis caussas affert, unam quod viri, ac feminae eum ritum per incuriam negligerent: alteram, quod multae essent ipsius ceremoniae difficultates: tertiam, quod *exiret e patrio jure quae in manum conveniret*: quod postremum graviter et acerbe ferebant patres. Verborum Taciti consectaria duo sunt, alterum filiamfamilias per confarreationem jure patrio soluto in potestatem viri cessisse: alterum conventionem illam in manum confarreationis effectum fuisse, non coemtionis, quae inerat confarreationi, alioqui, quod tertio loco Tacitus inquit, omittendae coemtionis, non confarreationis caussa esse debuisset. Atque hoc posterius consectarium Mazochianae conjecturae vim omnem infringit. Sed obturbat locus Tullii in *Flacciana*. Valeriam uxorem convenisse sibi in manum Sextilius ajebat. Negabat id Tullius eo argumento; non usu, aut coemtione convenit in manum; omnino igitur non convenit. Quod si etiam farre conveniebatur in manum occupare is debuisset, quod Sextilio facile erat opponere, ut Valeria non usu, vel coemtione convenisse, certe vero potuisse eam farre convenire. Diu me male habuit is locus: tandem ita statui apud me satis habuisse Tullium probare, neque usu nec coemtione Valeriam in Sextilii manum convenisse, quod ei cum Sextilio, et vere etiam inter omnes constaret, Sextilii, ac Valeriae nuptias non per confarreationem factas. Et usu quidem et coemtione privatim: farre autem publice uxor adquirebatur; nam et solenni sacrificio facto (*b*), et per Pontificem Maximum, ac Dialem Flaminem (*c*) matrimonia confarreabantur, ut facile patere posset in vulgus, hoc vel illud matrimonium farre, aut non farre factum: contra autem vulgo ut plurimum ambigi, num esset usu factum, an coemtione. Haec si cui levia videantur, is uni Tullio Dionysium Tacitum atque Ulpianum opponat, ac numero vincet.

Quod conventionis in manum meminerint Cajus apud auctorem collationis etc. (*d*), et Ulpianus in Fragmentis (*e*), nulla tamen ejus extet mentio in Pandectis, licet Cajo, et Ulpiano coaevi, aut suppa-

(a) *In 4. Æneid. v.* 103. (b) *Serv. ad Æneid.* IV. 103.
(c) *Id. ib.* (d) *D. tit.* 16. §. 2. (e) *D. tit.*

suppares fuerint JCti, ex quorum scriptis Pandectae constant, probabile est, eam, emollescentibus virorum moribus, mulieribusque insolescentibus, aetate inter Antoninum, et Justinianum media desiisse, et e fragmentis JCtorum in Pandectas insertis erasam a Triboniano. Huc referunt Cujacius (*a*), Brissonius (*b*), et Wissembachius (*c*) fragmenta duo Papiniani (*d*), ac tertium Ulpiani (*e*): atque in hoc initio scriptum *convenit in manum*, nunc tantum convenit; in illis initio *convenire in manum*, nunc *in matrimonium* putant. At vero Mazochius (*f*) nihil mutasse Tribonianum arbitratur, opponitque Cujacio Gellium (*g*), et Arnobium (*h*), apud quos est in *matrimonium convenire*. Sedet quidem mihi Mazochii sententia de eorum locorum lectione; sed non videtur tamen reiciendo Cujacio satis Gellium atque Arnobium eadem, qua Papinianus et Ulpianus, formula usos laudasse; posset enim aliquis id pro Cujaciore gerere τὸ *in matrimonium* Gellii atque Arnobii sententiae congruere, non item Papiniani atque Ulpiani: quo casu opus Mazochio esset in ipsam JCtorum mentem intueri; atque hoc uno modo refelli Cujacius potest, quod nunc facere aggredior. Ait Papinianus (*i*), *uxorem quondam privigni conjungi matrimonio vitrici non oportet: nec in matrimonium convenire novercam ejus, qui privignae maritus fuit*. Fragmenti hujus duae sunt partes eadem periodo comprehensae, quarum unam alteri belle congruere par est. Quod igitur priori parte non de in manum conventione, sed de matrimonio agit JCtus, ne continuo aberrasse ad aliena videatur, posteriore etiam de matrimonio egisse, non de in manum conventione, dici est aequum. Ita ea posterioris partis formula *in matrimonium convenire* optime respondet formulae prioris partis *matrimonio conjungi*. Si apud Papinianum leges *in manum*, sensus erit novercam non posse in potestatem transire mariti quondam privignae. At quid erat, cur traderet Papinianus non posse in manum convenire eam, quae nec poterat in matrimonium? Alibi Papinianus ait (*k*) *mulier ab eo, in cujus matrimonium conveniebat, stipulata fuerat ducenta, si concubinae tempore matrimonii consuetudinem repetisset: nihil caussae esse respondi, cur ex stipulatu, quae ex bonis moribus concepta fuerat, mulier im-*

(a) *In d. tit. Fragm. Ulp.*
(b) *De V. S. v. convenire in manum.*
(c) *In Emblem. Trib. pag. m.* 370.
(d) *In l.* 17. *de rit. nupt. et l.* 121. §. 1. *de V. O.*
(e) *In l.* 15. *princ. ff. rer. amot.*
(f) *D. diatrib.* 2. *n.* 13. (g) *D. c.* 18.
(h) *Lib.* 2. *adv. gent.* (i) *D. l.* 15. (k) *D. l.* 121. §. 1.

impleta conditione pecuniam adsequi non possit. Nunc, si placet, lege *in manum*, et mulierem, antequam in manum conveniret, stipulatam sibi ducenta a viro finge. Ego utilem fuisse stipulationem non nego: at commissa tempore matrimonii, hoc est post conventum in manum, stipulatione, mulierem ex stipulatu adsequi pecuniam posse Papinianus respondit. Quid tam absurdum? Ei, qui in manu est, actiones praestari adversus eum, in cujus est manu, lex vetat (a): ac nominatim uxor, quae in manu est viri, non sibi adquirit, sed viro. Huc pertinet illud Ulpiani (b), *adquiritur nobis per eas personas, quas in potestate, manu, mancipiove habemus*; ubi *potestas* ad filiosfamilias, *manus* ad coemtas, confarreatas, usucaptasve uxores, *mancipium* ad servos proprie refertur. Igitur si legas *in manum*, turpis nota adspergetur Papiniani responso, eaque, si legas *in matrimonium*, eluctur. Postremo Ulpianus ait (c), *si concubina res amoverit, hoc jure utimur, ut furti teneatur. Consequenter dicemus, ubicumque cessat matrimonium, ut puta in ea, quae tutori suo nupsit, vel contra mandata* (Principalia) *convenit, vel sicubi alibi cessat matrimonium, cessare rerum amotarum actionem*. Hic τὸ *convenit* certe positum est pro *convenit in matrimonium*. Regulam proponit Ulpianus, *sicubi cessat matrimonium, rerum amotarum actio cessat*. Duo subdit exempla, quibus matrimonium cessat, alterum ejus, *quae tutori suo nupsit*, alterum ejus, quae *contra mandata convenit*. Ut autem recte dicatur *matrimonium cessare*, quum mulier *convenit contra mandata*, necesse est, ut *convenire* sit nubere, seu *in matrimonium convenire*. Si Ulpianum scripsisse dixeris *in manum*, ex ejus verbis id consequetur matrimonium cessare, quum mulier contra mandata convenit in manum, seu, quod idem est (d), quum omnino non convenit: quod est plane ridiculum. Ad Mazochium redeo, qui argumento ejus formulae *in matrimonium convenire*, loca illa Pandectarum spectare putat ad uxores usuarias ante completum usucapionis annum. Id ego in ea tantum specie lubens admitto, quam priore loco Papinianus pertractat, alioqui enim non posset intelligi, qua ratione uxor sibi pecuniam viri adsequeretur: at posteriore loco Papinianus, itemque Ulpianus, num in manum viri conventum sit, nec ne, non attendunt: quia de muliere loquuntur, quae vere uxor non est, nam de matrimonio agunt prorsus nullo: tantum abest, ut ad uxorem usuariam respiciant. Et quidem in altera Papiniani specie neque usu, nec coemtione noverca

potest

(a) *L. 6. de oblig. et action.* (b) *Tit. 19. Fragm. §. 18.*
(c) *D. L. 17.* (d) *Arg. L. 5. C. de leg.*

potest ei nubere; qui privignae maritus fuit: in specie autem Ulpiani sive usu sive coemtione convenisse mulierem fingas, modo contra jus, furti actione tenetur, non rerum amotarum.

Igitur designari certe nequit locus Digestorum, quo Tribonianus expunxerit *in manum*, substitueritque *in matrimonium*. Sed extat tamen in Pandectis vestigium aliquod non obscurum veteris in manum conventionis, quod Triboniani diligentiam fugit: ut ecce, Ulpianus (*a*) *jure proprio familiam dici* scribit *plures personas*, *quae sunt sub unius potestate:* deinde earum personarum numero *matremfamilias* ponit. Alterum antiqui juris vestigium deprehendunt nonnulli, in quibus est Cl. Aulisius noster (*b*) apud Modestinum (*c*), et Scaevolam (*d*), qui uxorem ab hereditate viri ajunt *abstinuisse*, quod verbum proprium est suorum heredum (*e*), ut proinde eam convenisse in manum supponant. Forte ita se res habuit; at quod ducitur ex verbo *abstinere*, certum non est in manum conventionis argumentum; namque et filius *emancipatus* Ulpiano (*f*); et eidem Scaevolae (*g*) *soror* dicitur ab hereditate *abstinere*.

DE SERVITUTE EX CONTRACTU.

Libertate vix quidquam carius: et fuisse tamen eam apud nonnullas gentes venalem memoriae proditum est. Id inter antiquos Germanorum mores recenset Tacitus, cujus verba dignitatis ac fidei plena haec sunt (*h*), *Aleam sobrii inter seria exercent tanta lucrandi perdendive temeritate, ut quum omnia defecerunt, extremo ac novissimo jactu de libertate et de corpore contendant. Victus voluntariam servitutem adit. Quamvis junior, quamvis robustior alligari se ac venire patitur: ea est in re prava pervicacia: ipsi fidem vocant. Servos traditionis hujus per commercia tradunt, ut se quoque pudore victoriae exultant.* Similia de Hunnis apud Ambrosium (*i*) habes. Et haec quidem ab utriusque gentis feritate non abhorrent. A moribus institutisque Haebraeorum Graecorumque certe abhorret, quod de his Grotius, de illis scribit

(a) *L.* 195. §. 2. *de V.S.*
(b) *In tit. ff. solut. matrim. part.* 1. *n.* 6.
(c) *L.* 14. *de fid. libert.* (d) *L.* 41. §. 14. *eod.*
(e) *L.* 66. *de adq. her.* (f) *L.* 2. §. 10. *ad Tertull.*
(g) *L.* 18. §. 1. *de ann. leg.*
(h) *De morib. Germ. cap.* 24.
(i) *Lib. de Tobia cap.* 11.

scribit Seldenus. Si cui apud Haebraeos nihil eorum, quae ad victum pertinent, reliquum fecerat fortuna, potuisse eum ad egestatem sustentandam se se alteri dare in servitutem, dum se Haebraeo daret, non item alienigenae, docet Seldenus (*a*) eo motus Levitici loco (*b*), *Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus.* Idem in magna inopia Graecis permissum probat Grotius (*c*) facto Diogenis Cynici, qui se ipse vendidit Xeniadi Corinthio, cujus rei auctorem laudat Gellium (*d*). Verum quod pertinet ad Seldenum, vel ex ipso Levitico ei poterat liquere, contractu illo id actum, ut operis quidem hominis, non libertati pretium constitueretur; continuo enim sequuntur haec, *Non eum opprimes servitute famulorum, sed quasi mercenarius et colonus erit: usque ad annum Jubilaeum operabitur apud te.* Quod vero ad Grotium pertinet, mirari satis non queo, tantum ac tam acris judicii virum tantam indignitatem tam facile credidisse de Diogene, qui, ut tum erat Cynicorum institutum, voluntariam paupertatem affectabat. Tenuem victum, vulgaresque escas (cicer et lupinos) quibus vitam tolerabant Cynici, describit Lucianus (*e*): jamque ante tempora Luciani *cynica coena* (*f*) *et cynicae vivere* venerant in proverbium (*g*). Porro Cynicos eo vel maxime, quod minimo contenti, atque, ut Senecae verbo utar (*h*), *dupondio saturi* non indigere profitebantur, nativae libertatis ad insolentiam usque retinentissimos fuisse scimus. Vero igitur simile non debebat Grotio videri, Diogenem istius disciplinae principem, dum pauperrimi quique e plebe homines salva libertate vitam emendicando propagabant, quo is aliquanto commodius propagaret suam, voluisse jacturam facere libertatis. Huc et illud accedit, quod Grotio Gellii locum legenti incurrerat certe in oculos Cynici illius responsum Xeniadi datum, quod insigne erat magni erectique animi, atque a servitute quam longissime abhorrentis, indicium: Percunctanti Xeniadi, quum emere Diogenem vellet, quid hic artificii novisset, hunc respondisse scribit Gellius, *Novi hominibus liberis imperare*. Numne tam elate respondisset, qui paupertatis impatiens libertatem proji-

 ciebat

(a) *De jure nat. et gent. lib. 6. cap. 7.*
(b) *Cap. 25. v. 39.*
(c) *Flor. spars. ad Inst. lib. 1. tit. 2.*
(d) *Noct. Attic. lib. 2. cap. 18.*
(e) *Dialog. mort. et Diog. ac Polluc.*
(f) *V. Petronium Satyr. c. 14., ubi num legas coena, an pera, nihil interest.*
(g) *Gilbert. Cognat. in Adag. Sylloge et Adr. jun. in Adag.*
(h) *Ep. 18.*

ciebat suam? Sed quid ego tam multa de hac re? Diogenes non ipse se venum Xeniadi dedit, sed a pyratis captus veniit. Ita rem narrat Laertius (*a*). Nec Gellii locus accipi aliorsum potest. *Diogenes Cynicus*, ait is, *servitutem servivit, sed is ex libertate in servitutem venum ierat*. Novissimum hoc verbum male acceptum fraudi fuit Grotio. Latinis dicitur *venire*, aut *venum ire* qui ab alio venditur, non qui ipse se vendit. Apposite Cicero (*b*), *Quum is ei se se, cui totus venierat, venditaret*. Atque haec de Diogene. In universum autem a sapientia graecarum legum nihil abfuit longius, quam servitus ista ex contractu, de qua disputamus. Sed non hoc ago. Satago nunc de Romanis.

Libero homini licuisse per leges Romanorum se venalem offerre, certoque, ut convenerat, pretio dare se in servitutem docent Janus Acosta (*c*). Petrus Piththaeus (*d*), Jacobus Raevardus (*e*) Johannes a Woweren (*f*) Claudius Salmasius (*g*), Joh. Seldenus (*h*) Antonius Sculthingius (*i*), aliique nullo in diversum auctore: deque hac re tanquam minime dubia loquuntur, ut projectae audaciae videatur esse, quod illi ajunt, negare. Et ego tamen praecise nego: quin miror, tot viros antiquitatum, legumque romanarum doctissimos, tam foedam labem romanae jurisprudentiae adspersisse, eamque neminem, quod sciam, eluisse ad hunc diem. Sed age eluamus hanc labem.

Romana gens libertati nata nihil habuit libertate antiquius, nihil sanctius. Romana lex erat, *omnia posteriora libertati duci oportere* = *alias nationes servitutem pati posse*, *populi romani propriam esse libertatem* = *postremum malorum omnium servitutem esse* = *praestare emori quam servire*: cujus rei ecquem dare testem possum Tullio locupletiorem? Hujus sunt sententiae istae (*k*).

Nec quidquam in iis esse oratorie exageratum, sexcenta illustrium factorum exempla, quae romana suppeditat historia, ac bene multa in romanis legibus cauta contra jus in gratiam libertatis, praeclare commonstrant. Quod vero ferri leges debent quam maxime ad gentis ingenium accomodatae quis est, cui verisimile possit videri, Romanos a legum sapientia commendatissimos pati facile potuisse, ut libertas, de qua tantam animis opinionem imbiberant, mercis loco haberetur?

Quidquod, ne ea mercis loco esset, expresse vetuerunt? Merx dici-

(a) *In Diog.* (b) *De Ar*. . . (c) *Inst. tit. de jur. person.* §. 3.
(e) *Conject. lib.* 2. *cap.* 8. (d) (f)
(h) *De mod. usur. cap.* 19. (g) *Loc. cit.*
(i) *In Paul. sent. recept. tit.* 18. §. 1.
(k) *Cic. de off.* 16. 6. *I. A.* 209. *ibid.* 181. *I. P.* 82. 6.

dicitur quidquid in communi hominum usu commercioque est, ac certo potest pretio aestimari. At vero secundum leges Romanorum libertatis nullum commercium est, nullum certum est pretium. Tribonianus *liberum hominem* in iis ponit, quorum *non est commercium*, quaeque *natura sui* dominio hominum exemta sunt (*a*). Porro Venulejus ac Paulus *aestimationem libertatis ad infinitum extendi*; *infinitam aestimationem esse libertatis*; *libertatem inaestimabilem rem esse ajunt* (*b*).

Atque hinc novum mihi enascitur argumentum. Emtionem venditionem contrahi *simulatque de pretio convenerit*; neque ullam *sine pretio* esse posse: pretium autem esse *certum* debere, vel ipsi Justinianei sat norunt (*c*). At *inaestimabilis* res est libertas; proinde quum certum ejus fieri pretium non possit, nulla potest ejus esse emtio venditio. Duo igitur in libertate concurrunt; alterum, quod lege eximitur hominum commercio; alterum, quod certum ei statui pretium non potest: ac duo haec faciunt, ut multo minus venditio valeat libertatis, quam rei sacrae, religiosaeve, cujus certe non valet venditio (*d*). De re sacra, religiosave prius illud scriptum est in libris juris (*e*) non item posterius: quin res sacra antequam rite per Pontifices Deo fuisset dicata, et locus religiosus, antequam eum religio occupasset, pretio, ut aliae merces, aestimabantur, et certis quibusdam casibus ex postfacto aestimantur (*f*).

Ad haec et illud accedit, quod servitus juris civilis Romanorum propria (nam quae juris gentium esse dicitur, et ex matre serva natis, captivisque hostium contingit (*g*), huc non pertinet) certa erat maleficii poena, quae delinquendo, non contrahendo incurrebatur. Ita, ut civiles, qui in corpore juris sunt, libertatis amittendae modos enumerem, libertatem perdebant, qui servi poenae fieri dicebantur, veluti ultimo supplicio (*h*) aut in ludum venatorium (*i*) damnati: itemque in metallum, in opus metalli, aut in ministerium metallicorum non ad tempus dati (*k*): quibus casibus quid erat aliud servitus, quam poena delicti? *Servitus ex supplicio illata* dicitur Justiniano, qui eam tandem sustulit (*l*). Poe-

F 2 na

(a) *Inst. de inutil. stip.* §. 2.

(b) *L. procurator.* 8. §. *ult. D. ratam rem haberi L.* 106. *et* 176. *de reg. jur.* (c) *L. quod saepe* 35. §. 1. *de emt.*

(d) *L. sed Celsus* 6. *D. de contrah. emt.*

(e) *Instit. de Legat.* §. 4. (f)

(g) *L.*5.§.1. *de stat.hom.* (h) *L. qui ultimo* 29. *de poen.*

(i) *L. aut damnum* 8. §. 11. *eod.*

(k) *L.* 8. §. 4. *et* 8. *L. capitalium* 28. §. 4. *L. in metallum* 36. *eod.* (l) *Nov.* 22. *cap.* 8.

na itidem erat *servitus ex connubio* (*a*), quod genus servitutis S. C. Claudianum induxerat, tum abrogavit Justinianus (*b*) Libera mulier, quae ab alieno servo ter a domino admonita non abstinebat, domino cum bonis omnibus addicebatur ex eo S.C. Coercebatur ea servitute, cum flagitiosa mulieris libido, tum dolus, quo alienum servum frustra obnitente domino corrumpebat. Servum Ulpiani judicio is etiam corrumpit, qui *persuadet*, *ut amator existat* (*c*). Ita etiam jure civili revocatur in servitutem libertus in patronum patronive heredes ingratus (*d*): quod poenae nomine fieri ne ambigas. Diserte Constantinus rem istam pertractans *delicti* et *coercitionis* vocabula usurpat (*e*). Reliqua est servitus ejus, qui major annis xx venum se dari patitur ad pretium participandum (*f*). Habet quidem haec servitus speciem quandam servitutis ex contractu; certe enim contrahitur hoc casu liberi hominis venditio, sed non ea hominem facit servum emtoris. Servum facit dolus malus, quo suam ille conditionem ementitur in fraudem alterius, cui et pretium furto aufert, et plagii periculum creat: quod est argumentum fabulae Plautinae, quae inscribitur Pseudolus. Hinc cautum, ne alius in emtoris dominium redigatur, quam si major sit annis xx, qua maxime aetate dolum capit (*g*), ac de pretio partiendo sit pactus (*h*); quo nullum gravius indicium doli. Et vero quibus Pandectarum locis de hac servitute agitur, expressa *doli* fit mentio (*i*). In summa nullum servitutis ex contractu vestigium est in libris juris.

Nec sola privati juris, sed et publici Romanorum juris ratio servitutem istam non poterat pati. In xii. Tabulis scriptum est (*k*), *De capite civis nisi per maximum comitatum ne ferunto*, ubi *maximus comitatus* sunt centuriata populi comitia, quae *maxime* Romani *justa dici haberique voluerunt*, uti Tullius loquitur (*l*): *caput* autem non modo vita, sed et libertas, aut civitas est; unde *capitalem* caussam dicunt Jurisconsulti, *ex qua damnato vel mors, vel civitatis amissio, vel servitus contingit* (*m*). Igitur quo fieri quis

(a) *L. 7. 9. et ult. C. Theod. de liber. causs. Paul. 2. sent. 21. Ulpian. fragm. tit. 11. §. 11. Tertull. Lib. 2. ad Uxor. c. 8.*

(b) *L. un. C. de S.C. Claud.*

(c) *L. 1. §. 5. D. de servo corrupt.*

(d) *L. 2. et 3. C. De libert.* (e) *L. 2. C. eod.*

(f) *Iust. de jur. person. §. 4.* (g) *L. id est 15. de lib. caus.*

(h) *L. quum pacto 40. eod.*

(i) *L. rectissime 14. §. 2., cit. L. 15. et L. imo 16. §. 1. eod.*

(k) *Tab. IX.* (l) *De LL. 3.*

(m) *Brisson. de V.S. et capitalis.*

quis posset de cive peregrinus, aut de libero servus, populum sollenniter coire universum, in eamque rem consentire oportebat. Publice interesse videbatur, numerum civium, liberorumve, ne uno quidem capite minui; ac si quando minui necesse esset, id ipsius populi universi judicio probari: tantum abfuit, ut id privato cujusque arbitrio permitteretur. Dum Romana stetit Respublica, ac diu etiam post eam a Caesaribus occupatam, de capite civis cum populo actum: Ex quo jus omne populi concessit in Principem, summo hujus arbitrio datum adimere libertatem, Principale arbitrium lex erat: eratque servitus secundum ea, quae dicta sunt, poena legis. Haec mire confirmat jus vetus ac novum de adrogatione. Verbo *caput* in XII. Tabulis est et alia notio subjecta: eo significatur itidem familia. Et fuit quidem adrogatio, qua sui juris homo in aliam se familiam dabat, ad Galbam usque per maximum comitatum expedita: tum cepit ex rescripto Principis expediri (*a*). Quod autem multo plus est libertatem servitute, quam familiam familia mutare, quis eo labatur, ut credat ei, qui in familiam adrogatoris salva libertate ac civitate transire nisi populo suffragante, aut rescribente Imperatore non poterat, integrum fuisse arbitratu suo decernere de libertate, qua semel amissa jura omnia civitatis, et familiae peribant?

Sed nae ego nimium multus fui in hac re, quasi jus controversum tractarem. Pacto servum fieri neminem non incerti juris est. *Liberum hominem*, inquit Paulus (*b*), *scientes emere non possumus*. Paulo concinit Pomponius (*c*), *Celsus filius ait, hominem liberum scientem te emere non posse*. Jam quod fieri *non posse* leges ajunt, id si facias, pro infecto est, neque ullam vim habet. Apposite Licinnius Rufinus (*d*). *Si emtor sciens liberum esse emerit, nulla emtio contrahitur*. Si nulla jure est emtio, nullum obtinere juris effectum potest. Quid clarius? Et sunt ad manum alia, quae servitutem istam ex contractu multo etiam luculentius excludunt. Ecce tibi Callistrati locum (*e*), *Conventio privata neque servum quemquam, neque libertum alicujus facere potest*; ecce etiam Diocletiani, et Maximiani rescriptum (*f*), *Liberos privatis pactis, vel actu quocumque administrationis, non posse mutata conditione servos fieri certi juris est* (*g*).

Nunc

(a) *Gajus in l. 2. D. de adopt.*
(b) *L. 5. in emtione 34. §. 2. de contrah. emt.*
(c) *L. sed Celsus 6. pr. eod.* (d) *L. liberi 70. eod.*
(e) *L. conventio 37. D. de liberal. caus.*
(f) *L. liberos 10. C. eod.*
(g) *L. 10. C. de lib. causs.*

Nunc quis est, qui non demiretur, tot numero, tantosque ingenio, ac doctrina, viros secus sensisse de hac re? Ecquid illud est, quod eos in tam absurdam opinionem traduxit? Multa in suam illi sententiam afferunt prima quidem specie pulcra, re tamen ipsa prorsus inepta.

Et primum, quo utuntur, argumentum hoc est. Leo Imperator ad sua usque tempora stetisse legem ait, qua liber homo, ut *execrabile pro servitute persolvendi pretii lucrum participaret* se ipsum impune vendebat (*a*): deinde eam legem reprehendit, quod tantum scelus inultum pateretur; eaque demum abrogata, cum ipsum libertatis suae proditorem, tum eum, *qui cum ipso id facinus designaverit*, *verberari* jubet, et salva libertate, *non valere contractum*.

At quae illa lex est, quam Leo meminit, abrogatque? Certe quidem illa, quam supra enarravi, de majore annis xx, qui venum se dari ab alio patitur, non de eo, qui ipse se vendit; cujus rei argumenta haec sunt. Exploratum id omnes habent, constitutionibus Leonis non alias abrogari leges, quam quae in libris erant Imperatoris Justiniani: in iis autem, nec uno eorum loco (*b*), de eo scripta lex est, qui venire se patitur ab alio, non de eo, qui se ipse solus offert venalem. Porro de pretio partiendo, participandoque, ac de alio etiam ab eo, qui venditur, fraudis socio loquitur Leo: quae duo in eum non quadrant, qui se ipse solus venalem praebet, sibique uni de pretio, aut de alimentis paciscitur. Nec turbat τὸ *Si quis se ipsum vendat* apud Leonem; nam vendere se ipsum recte dici is etiam potest, qui volens lubens patitur venum se ab alio dari. Et vero eodem recidunt se *ipsum vendere* ac venalem se praebere: et *praebere se venalem* Hermogenianus eum dicit, qui major annis xx. cum pacto partitionis pretii se patitur ab alio vendi: *Cum pacto partitionis pretii*, ait Hermogenianus (*c*), *major xx annis venalem se praebuit*, *nec post manumissionem ad libertatem proclamare potest*. Placuit exscribere locum ipsum Hermogeniani, quo intelligas convenire cum eo locum Modestini, quem mox describam, et utriusque collatione meum de Leonis constitutione judicium confirmari. *Libertas* apud Hermogenianum est *ingenuitas*; uti rectissime Hotomanus (*d*): cujus signi-

(a) *Nov.* 59.

(b) *L. et servorum* 5. §. 1. *de stat. hom.*
L. si quis 6. §. 5. *De injust. rupt. irrito fact. test.* *L. quaedam* 14. *de poen. et* §. 4. *Inst. de jure pers.*

(c) *L.* 40. *de Liber. causs.*

(d) *De V. S.*

significationis multa Brissonius exempla congessit (*a*). Igitur Hermogeniani locus sententiam hanc habet, eum, qui major annis xx. cum pacto partitionis pretii venumdari sit passus, si manumittatur, libertinum fieri, quod aliis servis manumissis contingit, non in pristinum ingenuitatis statum restitui. Hanc ipsam sententiam multo luculentius expressit Modestinus his verbis (*b*), *Liber homo, qui se vendidit, manumissus non ad suum statum revertitur, quo se abdicavit; sed efficitur libertinae conditionis*. De eo, qui venire se patitur ab alio certe loquitur Hermogenianus, eumque ait *venalem* se *praebere*: eandem ipsam speciem certe tractat Modestinus, quique *venalem* se *praebere* dicitur Hermogeniano, eum *vendere se* inquit. Sed quid ego de hac re tantopere laboro? Interpretes ad unum omnes pro certo affirmant, non aliam a Leone legem tolli, quam quae majorem annis xx. venum se dari ab alio passum redigebat in servitutem: idque vel ipsi affirmant Raevardus ac Salmasius, quibuscum disputo: nisi quod nihil putant interesse, num quis vendi se ab alio patiatur, an ipse se vendat: quo nihil absursius. Qui, quum sit liber, venum se dari ab alio, tanquam domino patitur, servum alterius esse se simulat, et emtori fraudis inscio fraudem facit; qui ipse se non ementita conditione venalem offert, emtorem non decipit. Priore casu nihil emtor delinquit: qui vero venalem se praebet, falsi est reus. Verbera, quam poenam in hunc constituit Leo, poena sunt flagitio minor: par flagitio poena servitus. Ita emtor dominio compensat injuriam, isque, cui tam vilis libertas fuit, in eo punitur, in quo peccavit. Posteriore casu delinquit emtor, qui liberum hominem commercio exemtum sciens emere legibus prohibetur: eum vero, qui nihil simulans ipse se vendit, magna semper excusat inopia, et debitum quandoque commendat officium; ut illum, qui quum ad patrem sepeliendum nec pecuniam haberet, nec pecuniae spem ullam, ne patris cadaver insepultum marcesceret, pacto in eum finem pretio in lanistae familiam se dedit (*c*). Ecquis eum, qui bona fide emit, cum eo conferat, qui emit contra Legem, eumque, qui excusationem habet inopiae, aut pietatis, cum eo, qui non aliter quam dolo facit? Plurimum igitur interesse inter unum, atque alterum casum, nemo est omnium qui non facile intelligat: hujusque differentiae, quod ad emtorem pertinet, vestigium est aliquod in libris juris. Liberum hominem si quis sciens emerit, *nullam contrahi emtionem* ait Licinnius Rufinus (*d*): eam, si ignorans emerit, *contrahi posse* idem Rufinus inquit, et Pomponius (*e*) *intelligi*.

Secun-

(a) *L. 70. D. de contrah. emt.* (b) *De V.S. v. libertas.*
(c) *L. 21. de stat. hom.* (d) (e) *L. 4. D. eod.*

Secundum argumentum hoc est. Romae gladiatorum genus duplex, alterum eorum, qui in ludum damnabantur, alterum eorum, qui se ipsi lanistae offerebant ad ludum. Quin ad ludum damnati efficerentur servi, nulla dubitatio est. Apud auctorem collationis mosaicarum et romanarum legum est de hac re pulcherrimus Ulpiani locus (*a*). Ad ludum damnatos non semper consumi, ut qui ad gladium damnantur, sed posse ait ulpianus post triennium *rudem inducere*, h. e. pugnae vacationem mereri, ac post quinquennium *pileari*, h. e. pileum, insigne libertatis accipere. Eorum, qui se ipsi offerebant ad ludum, duplex itidem genus. Quidam editori muneris gladiatorii operas tantum locabant suas: quidam se ipsi vendebant in ludum. Hos dare venalia fata inquit Propertius (*b*), caput vendere in mortem Manilius (*c*), et sua funera vendere Juvenalis (*d*); hique auctorare se dicebantur: cujus verbi originem ex eo repetit Salmasius (e), quod de primo ac secundo *auctore* scriptum est in libris juris. Prostant apud Brissonium (*f*) exempla, quibus docemur *auctorem* Jurisconsultis dici, qui venditur secundum *auctores*; qui fidejubet pro evictione; utrumque enim habet emtor sui juris auctorem. Ab *auctore* in hunc sensum accepto factum inquit Salmasius verbum *auctorari*, vel quod magis proprie dicitur, *auctorare se*, nam liberi homines, qui ipsi vendebant lanistae, auctores ipsi erant venditionis sui. Jam vero in Glossis Isidori (*g*), et apud veterem Horatii interpretem (*h*) auctoratio est *venditio*, nec alio quam ad venditionem referre auctorationem videntur Paulus, et Ulpianus, operarum locatorem ab auctorato separantes apud auctorem collationis mosaicarum, et romanarum legum (*i*). Ait Paulus (*k*), *eum, qui auctoramento rogatus est ad gladium, vel illum, qui operas suas, ut cum bestiis pugnaret, locavit*. Ait Ulpianus (*l*), *Qui depugnandi causa auctoratus erit, qui se bestias pugnare locavit, locaverit*. Quod si auctoratio non erat aliud quam venditio, neque auctorationem Romae frequentissimam, venditionem istam leges uspiam improbarunt, idem, qui aliarum omnium venditionum, ejus esse effectus debuit, h. e. auctorati transitus in potestatem lanistae. Si non in potestatem lanistae transisse auctoratum dixeris, quid ille emendo adquisivisset? operas? Sed explicatu difficile est cur

(a) *Tit. XI. §. 7.* (b)
(c) *Lib. IV. Astron.* (d) *Satyr. VIII. vers. 192.*
(e) *Ad Trebell. Pollion. Gallien. cap. 12. et de mod. usur. cap. ult.* (f) *De Form. lib. VIII.* (g) *V. auctoratio.*
(h) *Ad Sat. 7. lib. II. v. 59.* (i) *Tit. 4. §. 3.*
(k) *Ibid.* (l) *Ibid. tit. 9. §. 2.*

cur emtio venditio ad dominium transferendum instituta uno illo casu rei usum, non dominium transferre. Deinde *quum* Paulus, et Ulpianus locationem operarum ab auctorato distinquant, et vendere, quod de auctorato dicitur, plus sit, quam locare, his consequens est auctoratione aliquid supra operas in lanistam transisse: at supra hominis operas quid est aliud, quam libertas? Certe inter hanc et illas nihil est medium. His tanquam cumulus accedat sacramentum, quod auctorati in verba emtoris jurabant, cujus formula diligenter, ac per partes expensa certam verae servitutis faciet fidem: ejus autem solemnia verba fuisse haec *uri*, *vinciri*, *verberari*, *necari*, testes sunt Horatius (*a*), Petronius (*b*), et Seneca (*c*). Quod vero Petronius et sacramenti formulam describit, et formulae vim potestatemve explicat, e re erit integrum ejus locum in medium adferre. Est autem hic (*d*). *In verba* Eumolpi *sacramentum juravimus uri*, *vinciri*, *verberari ferroque necari et quicquid aliud Eumolpus jussisset, tanquam legitimi gladiatores domino corpora animoque religiosissime addicimus*. Auctorati a lanistis, ut a dominis servi, verberabantur impune: at jam inde ab anno urbis 454 Portia lex virgas ab omnium civium Romanorum corpore amoverat (*e*). Auctorati lanistis addicebant *corpora animasque*: quibus verbis significabant se nihil sibi reliquum facere ne arbitrium quidem. Auctorati lanistas vocabant *dominos*: quo uno verbo servos se esse profitebantur. Ad haec et illud adde, quod Petronius subjicit, *post peractum sacramentum serviliter ficti Dominum consultamus*, *ait ficti*, nam de ficta auctoratione loquitur: quoniam autem ficta isthaec auctoratio ita imitari atque exprimere veram debebat, nihil ut abesset a vera, quae vere servos faciebat *serviliter ficti* inquit.

Ego vero libertatis auctoratorum duos habeo certae fidei testes Paulum et Callistratum. Paulus apud auctorem collationis Mosaicarum, et Romanarum legum (*f*), personas enumerans; quas *viro licet occidere in adulterio deprehensa uxore*, *quamvis uxorem non liceat*, in iis ponit *servum*, *et eum qui auctoramento rogatus est ad gladium*. Verba *et eum qui auctoramento* etc. praeit vox *servum*, qua, si jure fuisset servus, auctoratum quoque Paulus comprehendisset. Ecquis est, qui sibi facile persuaserit, tot verba perdere Paulum voluisse; in cujus commentariis (et haec Romanorum omnium juris consultorum praecipua laus est) vix verbum

G

(a) *Satir.* 11. 7. *U.* 58. (b) *Satyricon pag.* 160. *edit. ann.* 1654.
(c) (d) *Cit. loc.*
(e) *Cic. orat pro Rabir. cap.*
(f) *Titul. IV.* §. 3. *de adulterio*

bum redundat? Jam vero sub nomine Callistrati in Pandectis (a) describitur caput legis Juliae de vi publica et privata, quo nonnullis testimonium dicere omnino interdicitur. Sed in eo capite, uti nunc legitur in Pandectis, aliquid deest, quod omnino supplendum ex collatione Mosaicarum, et Romanarum legum, ubi hoc idem caput describitur sub nomine Ulpiani. In collatione Mosaicarum et Romanarum legum testimonium interdicitur ei, *qui depugnandi caussa auctoratus erit*, eique, *qui bestias depugnare locaverit*: in Pandectis ei tantum, qui se ad bestias locaverit, nulla auctorati mentione facta. Quod autem Callistratus aeque atque Ulpianus ipsissima capitis verba exscribere se profitentur; quodque absurdissimum est, tantum iis, qui operas locabant ad bestias, non item auctoratis testimonium interdici; ambigendum non est ea etiam exscripsisse Callistratum, *qui depugnandi caussa auctoratus erit*. Quae autem caussa est, cur ea apud Ulpianum in ea collatione, non apud Callistratum in Pandectis legantur? Num quia ad collationem illam manus non admovit Tribonianus, fragmenta vero Jurisconsultorum, ex quibus composuit Pandectas, ad jus sui temporis accomodavit? Sic profecto se rem habuisse, demonstrandum aggredior. Sed quorsum id spectat? Nempe ut plus habeat ponderis argumentum, quod mox ero ex Callistrati loco ducturus. *Apud Romanos primum* sub Constantino *interdicta gladiatorum spectacula*, scribit Sozomenus (b). Constantini Legem habes in Codice Theodosiano integram (c), in Justinianaeo decurtatam (d). In Codice Justinianaeo his verbis absolvitur, *cruenta spectacula in otio civili et domestica quiete* non *placent*: *quapropter omnino gladiatores* esse *prohibemus*. In Codice Theodosiano sequuntur haec alia, *eos*, *qui forte delictorum caussa* hanc *conditionem*, *atque sententiam mereri* (hoc est ad ludum damnari) *consueverant*, *metallo magis facies inservire*, *ut sine sanguine suorum scelerum poenas agnoscant*. Num haec Constantini lex totum Romanum Orbem spectaverit, uti nonnullorum opinio fert, quae tueri poest eo Sozomeni verbo, *apud Romanos*, an solum Orientem, quae Jacobi Gothofredi sententia est (e), ambigitur. Ut ut est, certe non desiit gladiatorum munus Romae dari ante annum Chrtsti 404., quo demum anno ab Imperatore Honorio abolitum narrant Theodoretus (f), et historiae tripartitae Auctor (g). Quid autem super hac re in more fuerit Justiniani aevo, nemo satis ad-

huc

(a) *L. testium* 3. §. 5. *de testib.* (b) *Lib.* 1. *Cap.* 8.
(c) *V. L.* 1. *C. Th. de gladiat.*
(d) *V. L. un. C. eod. lib.* XI. (e) *Ad L.* 1. *C. Th.*
(f) *Lib.* 5. *Cap.* 26. (g) *Lib.* 10. *Cap.* 2.

huc explicavit: ego rem tibi expeditam dabo. Constantini legem Theodosiano Codici insertam suo etiam Codici insertam voluit Justinianus, sed multo illic latius patebat. Constantinus *omnino* h. e. omnis generis *gladiatores esse prohibuit*, h. e., cum servos a dominis deputatos ad ludum, tum liberos, qui se ipsi ad opus jure jurando addicebant lanistis. Num etiam bestiarios, h. e. qui sive damnati, sive pretio conducti cum bestiis pugnabant? De gladiatoribus loquitur Constantinus: et quanquam gladiatores alii essent a bestiariis, *tamen* gladiatores alios a bestiariis facere videtur Tullius his verbis (*a*), *Milonem dicas gladiatoribus et bestiariis obsedisse Rempublicam*: itemque his (*b*) ille vindex *gladiatorum*, *et bestiariorum emerat de Cascônio bestiarios*. Mihi dubium non est, quin gladiatorum nomine bestiarios quoque comprehenderit Constantinus. Uti *adoptio* in libris juris vox est, quae genus aeque atque speciem designat, ita apud latinos *gladiator*. Quum auctor declamationum (*c*) *gladiatorem* definit, *qui in arena populo spectante pugnavit*, genus ipsum definit, quod res duas specie dispares complectitur, h.e. hominem, qui cum homine, et hominem, qui cum bestiis pugnat, quorum hic psoprie *bestiarius*, ille *gladiator* proprie vocatur. In suprascriptis Tullii locis bestiariorum mentio facit, ut quoniam eo vocabulo species una nominatim exprimitur, *gladiatorum* vocabulo species altera intelligi debeat expressa. At Constantini lex scripta est de *gladiatoribus*, sicque de genere ipso, cui tanquam species *bestiarii* subsunt. Id sensisse Constantinum patet ex eo, quod hoc eodem sensu legem gladiatoribus tulisse se ait sui interpres Cicero. Est haec lex Tullia de ambitu an. U. 690. a Tullio lata in hanc sententiam (*d*), ne *biennio quo quis peteret*, *petiturusve esset*, *gladiatores daret*, *nisi ex testamento praestituta die*; quumque esset qui dare bestiarios non esse contra legem contenderet, quod de *gladiatoribus*, non de *bestiariis* scripta lex esset, *Festive*, inquit Cicero (*e*) cavillationem irridens. Sed ipse etiam Constantinus interpres est sui. Quos damnari ad bestias jus mosque erat, eas jubet metallo inservire. Ergo sub nomine gladiatorum bestiarios esse prohibet. Quod si pugnare cum bestiis populo spectante vetat magni alicujus criminis reos, in quos populum universum intueri ad exemplum publice expediret, multo etiam magis alios vetat tam acerbum ac luctuosum sui spectaculum dare, populo ut placeant, non ut poenam sceleri debitam luant. Ac de Constantino satis

G 2 Venio

(a) *Orat. in Vatin. Cap.* 17. (b) *Ad L. draer. lib.* 2. *ep.* 5.
(c) *Decl.* 302. (d) *Cic. Orat. in Vatin. Cap.* 5.
(e) *Orat. pro P. Sextio Cap.* 64.

Venio ad Justinianum: neque Constantini, neque Honorii lex de gladiatoribus valuit apud Romanos. Jam antea corrupti longa consuetudine mores vim legum vicere. Constantini legem restituere in animum induxit Justinianus, sed tempori serviens (desperabat enim totius mali remedium) non restituit totam. Esse prohibuit *gladiatores*, h.e. homines cum hominibus in arena pugnantes, esse eos prohibuit *omnino*, h.e. liberos servosve: bestiarios non prohibuit; unde quae vox in lege a Constantino edita vox generis erat, ea in eadem ipsa lege sub ejusdem Constantini nomine ab Iustiniano proposita ad certam speciem refertur. Hanc mihi mentem dederunt ipsi juris Justinianaei Libri. Habent hi Constantini legem de gladiatoribus ea parte deminutam, qua bestiarios prohibet. Mentionem hi de damnatis ad bestias, deque iis, qui mercede conducti cum bestiis pugnabant, tanquam de re praesenti faciunt non raram: de auctoratis, qui se ad gladium h.e. ad pugnandum cum aliis hominibus seu locabant, seu vendebant, omnino nullam, ne iis quidem locis, quibus fieri eorum mentio debuit, ut ecce est in his locus, ubi Ulpianus de iis agens, qui tanquam (*a*) *turpitudine notabiles*, pro aliis postulare prohibentur; eum praeter alios prohibere ait (*b*) qui *operas suas, ut cum bestiis depugnaret, locaverit*: de auctorato autem, qui se ad gladium seu locaverit, seu vendiderit, tacet omnino: et certe hic, cujus turpior quaestus, multo etiam magis prohibetur. Id ego pro certo habeo, Ulpianum *lib. VI. ad Edictum*, unde is locus descriptus est, de auctorato non tacuisse; tacuisse vero Tribonianum, qui jam aliquot ante annos in Imperatoris sui Codicem inseruerat Constantini legem de gladiatoribus. Haec omnia (et ecce ad Callistratum redeo) praeclare confirmant, quod initio dixi, exscripsisse Callistratum ea legis Tulliae verba, *qui depugnandi caussa auctoratus erit*. Nunc vide quo evadat. Callistratus rationes subjicit, cur ea lex huic aut illi testimonio voluerit interdictum, aitque: *Nam quidam propter reverentiam personarum; quidam propter lubricum consilii sui; alii vero propter notam et infamiam vitae suae admittendi non sunt ad testimonii fidem*; ubi τὸ *propter notam et infamiam* vitae dubitandum non est, quin ad auctoratum supra alios omnes infamem potissimum referatur. Facit igitur vitae infamia, ut auctoratis testimonio interdiceretur. Tanta autem erat auctoratorum infamia, ut quamvis alii, qui artis ludricae caussa operas suas locabant, non ante fierent infames, quam in publicum prodirent (*c*), auctorati tamen sola auctoratione notarentur. Ut id pro certo habeam, facit

(a) *L. 1. §. 5. de postul.* (b) *L. 1. §. 6. eod.*
(c) *L. qui aut 3. de his qui not. infam.*

facit Ulpiani locus (*a*) de eo, qui operas suas, ut eum bestiis depugnaret, locavit. Ergo, ait is, *qui locavit*, *solus notatur*, *sive depugnaverit*, sive non. Secundum ea, quae de Callistrati loco dicta sunt, non de solo bestiario, sed de auctorato etiam ad gladium, quo multo erat improbior, loquutum inibi Ulpianum, mihi tam certum est, quam quod certissimum. De eo dubitatum video apud Auctorem declamationum (*b*), an eum quoque sequeretur infamia, qui se auctoraverat, ut patrem sepeliret: qua nulla apud gentes, maxime Romanam, honestior caussa: tum fuerat apud populum professus, in eum unum finem produci sex assum, nec tamen, sic postulante populo, pugnavit. Quod vero ne dubitationi quidem locum dabant eximia filii pietas in patrem, verecunda illa et liberali homine vere digna professio, ac tam praeclarum de eo factum a populo judicium; haec ipsa dubitatio magnum est argumentum infamiae. Sed hac ipsa infamia nullum certius indicium libertatis. Infamia est nota personae, quam servi nullam habent jure civili. In Edicto Praetoris *de his, qui notantur* infamia (hoc in Pandectis (*c*) fuse lateque exponunt Jurisconsulti) et in Constitutionibus Imperatorum de his *quibus irrogatur infamia* (has collegit omnes, et Codici (*d*) inseruit Tribonianus) nusquam servi mentio.

Duo de libertate auctoratorum producti sunt testes Paulus et Callistratus, jamque secundum leges satis testium est datum. Si quis est, qui proferri alios postulet, praesto sunt alii duo, quos, ne Paulo et Callistrato facere videar injuriam, pro supernumerariis haberi volo. Et est cur mihi gratuleris horum unum produci de domo adversarii. Est hic A. Schultingius, qui eo ipso loco (*e*), ubi auctoratis libertatem abjudicat, antiquam inscriptionem libertatis auctoratorum testem exscribit. Inscriptionem istam primum ego apud eum legi, tum apud Reinesium (*f*), Sponium (*g*), ac Fabrettum (*h*). Sic autem se habet: BAEBIUS. GEMELLUS. MUNICIPIBUS. SINGULEIS. INCOLEISQUE. LOCA. SEPULTURAE. D. S. P. DAT. EXTRA. AUCTORATEIS. ET. QUI. SIBI. LAQUEO. MANUS. ATTULISSENT. Inscriptionem hanc Fabrettus *fictitiam* confidentissime pronunciat nullo satis idoneo argumento. At Reinesio, Sponio, Schultingio ne suspecta quidem est. Apud Reinesium legitur *C.S.P.*, apud Sponium *D.S.P.* Reinesius magni quidem ingenii, nec vulgaris eruditio-

(a) *L.* 1. §. 3. *de postul.* (b) *Lib.* 2. *tit.* 12.
(c) *Lib.* 3. *tit.* 2. (d) *Lib.* 2. *tit.* 12.
(e) *Ad Collat. Mosaic. et Roman. Leg. tit.* 4. §. 3. *in Jurispr. antejust. p.* 746. (f) *Class. VIII. Inscript.* 20.
(g) *Miscellan. p.* 264. (h)

ditionis vir, sed in explicandis veterum notis parum feliciter audax, notas *C.S.P.* interpretatur *citra*, vel *circa suum praedium* nullo, quod sciam exemplo ejus significationis, quam singularis literis *C.* et *P.* affingit: et est tamen istarum notarum non difficilis explicatio, nempe haec, *cum sua pecunia*, aut, si *C.* cum *D.* commutes, quod praefero, *de sua pecunia*. Baebius loca sepulturae dedit suo sumtu.

Extra auctorateis. Cubare hoc loco mendum putant Reinesius, et Fabrettus, emendantque ex conjectura hic *auctoratos*, ille *extra auctoritates*, h. e. sine ullo instrumento. Antiquae loquutionis ignoratio emendationi caussam dedit. *Extra* positum est hic pro *extra quam* in eum ipsum modum, quo *praeter* pro praeterquam veteribus dictum. Ita Sallustius (*a*), *Senatus ceterae multitudini diem statuit praeter rerum capitalium condemnatis*. Sunt et alia istius loquutionis exempla apud Ausonium Popmam (*b*). Aliquid etiam ex conjectura mutat Sponius, legitque, *extraauctoratis*, h. e. exauctoratis. Ita de duabus vocibus unam, tamque insolentissimam fingit, et, quod minus ferendum, totius orationis contextum turbat; recepta enim Sponii lectione referri τὸ *extraauctoratis* deberet ad *municipes*, et *incolas*, duarumque harum vocum significationem coangustare, quasi non omnibus municipibus, incolisque sepulturae loca Baebius dederit, sed iis tantum, qui aut exauctorati fuissent, aut laqueo sibi manus attulissent, aut quaestum spurcum professi essent. Et vero Sponius voluisse Baebium inquit iis consulere, qui alias caruissent sepulcro, quales erant militia missi ob crimen, qui mortem sibi suspendio consciverant, et lenocinium meretriciumve quaestum professi. At si ita se res habet, inter τὸ *municipibus singuleis, incoleisque*, ac τὸ *extra auctoratis* male interponuntur haec, *loca sepulturae de sua pecunia dat*.

Τὸ *extra auctorateis* recte interpretatur Schultingius *extra quam auctoratis*, et (quod de homine in primis acuto non possum satis mirari) non animadvertit, quam magnum libertatis auctoratorum in eo lateat argumentum. *Extra quam* vetus et solemnis est formula exceptionis. Exemplorum abunde est apud Brissonium (*c*). Ergo Baebius, qui municipibus incolisque loca dederat sepulturae, e municipum incolarumque numero auctoratos eximit. Quod autem intelligi non potest de numero eximi, qui in eo numero, antequam eximerentur, non erat, auctoratos a Baebio exem-

(a) *Bell. Catil. cap.* XXXVI.
(b) *De usu antiq. loquut. lib.* I. *cap. VII.*
(c) *De Form. Lib.* 5. *Cap.* 77.

exemtos de numero municipum incolarumque incolas municipesque fuisse necesse est. Ecquis incolarum municipumque numero servos habeat, qui nullum caput, ac ne personam quidem habent jure civili? Exceptos igitur voluit Baebius auctoratos, liberos quidem illos, sed despectissimos hominum, et infames: quo certe nomine exceptos etiam ut-ut liberos voluit et qui sibi laqueo manus attulissent, et qui quaestum spurcum professi essent. Porro auctoratos, si servi fuissent, nihil fuisset opus, quin perridiculum fuisset a Baebio excipi, ut pote qui secundum ejus temporis disciplinam pro exceptis habebantur; nihil enim servis erat cum liberis commune, ne post mortem quidem. Dominos facile passos suis sepulcris suos servos, et maxime vernas inferri, certo multarum veterum inscriptionum testimonio scimus (*a*); sed per domestica haec humanitatis exempla nihil detractum de veteri Romanorum instituto, quo servorum cadavera extra oppidum efferebantur projicienda in publicum locum, quo ibi putrescerent, *puticulos*, seu *puticulas* dictum (*b*). Nec eo moveor, quod posset opponi, eos etiam a Baebio excipi, qui sibi laqueo manus attulissent: de iis autem in libris Pontificalibus, Servio teste (*c*) cautum, ut *insepulti abjicerentur*: quod idem, si non laqueo, sed alio quovis modo sibi ipsi necem conscissent, jure Pontificio constitutum, probat vel unus ille *controversiae* titulus apud Senecam (*d*), *homicida sui insepultus abjiciatur*. Eo, inquam, non moveor; jam enim ante annum urbis 612. jus istud Pontificium exoleverat. Et vero Silanum, qui eo anno a patre suo T. Manlio Torquato abdicatus ob Macedoniam non ex fide administratam doloris impatiens justo funere vitam suspendio finivit, elatum sepultumque Valerius Maximus scribit (*e*): et generaliter eorum, qui antequam damnarentur, de se ipsi statuebant, humata sub Tiberio corpora, Tacitus inquit (*f*). Postremo si auctoratos fuisse servos ponas, quid caussae fuisse dixeris, cur Baebius solos e servis auctoratos exceperit, non alios itidem servos natos factosve? Ingenii aciem, quantum potes, intende. Vix est, ut probabilem aliquam Baebiani consilii rationem excogites . . .

Desunt nonnulla

DIS-

(a)

(b) *Vid. Varron. Lib.* 4. *de LL. Festum v.* puticulos, *Jac. Guther. de Jur. man. lib.* 2. *cap.* 36. *et Petr. Morestell. Pomp. feral. vet. Lib.* 5. *cap.* 5. (c) *Ad lib.* 12. *Æneid. v.* 603.

(d) *Lib.* 18. *controv.* 4. (e) *Lib.* 5. *cap.* 8 *num.* 3.

(f) *Annal. Lib.* 6. *cap.* 29. *in quem locum v. Lipsium.*

DISSERTATIO

De Confarreatione, Coemtione, usu.

Olim *tribus modis uxor habebatur, usu, farre, coemtione*, verba sunt Boethii (*a*). Tres istos nuptiales ritus hac dissertatione aggredior illustrandos. Sed sub istum initium subsisto. Remoratur me Alexius Symmacus Mazochius, quantus vir Deus bone! Is (*b*) confarreationem, coemtionem, usum non tam nuptiales, quam *sponsalitios* ritus fuisse suspicatur. Ego seorsim sentio. Confarreationis ritum fuisse omnino nuptialem docet Dionysius Halicarnasseus (*c*) his verbis, *Farris communicatio virum et uxorem necessario conjugii inseparabilis vinculo conjungebat, et nihil erat, quod has nuptias posset dissolvere*. Vides *viri, uxoris, conjugii*, et *nuptiarum* nomina, et quod praecipuum est, *necessarium conjugii inseparabilis vinculum* spousalitio ritui convenire nullo modo posse. Adstipulantur Halicarnassaeo Apulejus (*d*), et Servius (*e*), quorum hic *farreatas nuptias* meminit: ille inquit *matrimonium confarreare*. Usum quoque, et coemtionem nuptiales ritus fuisse ostendunt adscripta Boethii verba, quibus addo haec Servii (*f*), *Tribus modis apud veteres nuptiae fiebant, usu, farre, coemtione.* Quo uno vir Cl. innititur argumento tres eos ritus ante solemnem sponsae deductionem expeditos: nuptias autem a ductione demum processisse; illud me non movet; plerumque enim ductae jam sponsae esse usus incipiebat; namque usus possessio erat, uti mox: nec vir possidebat nisi ductam. Hinc Gellius (*g*) uxorem usuariam esse eam scribit, quae *apud virum* caussa matrimonii esse *coepisset*. Τὸ *apud virum* sane est *in viri domo*, in qua mulieris usum, seu possessionem coepisse Gellius inquit. Coemtionem quidem ante deductionem sponsae factam probat vetus Inscriptio, quam inferius dabo: idemque de confarreatione libens admitto; at nego, quae domum ductione tenus fiebant, ea pertinuisse omnia ad sponsalitios ritus. Et id plane negant Servius, et Boethius, quum non sponsalia, sed *nuptias* farre aut coemtione factas ajunt. Porro nuptias olim solus consensus faciebat, uti et nunc facit: conveniebat autem, ut nec sponsus sponsam duceret, nec sponsa duci se sineret a sponso, nisi uterque jam antea consensisset in nuptias, atque has adeo consensu mutuo perfecisset. Nunc

(a) *In Top.* (b) *Diatrib. de Ritib. sponsalior. n.* 2.
(c) (d) *Met. lib.* (e) *In lib.* 4. *Æneid. v.*
(f) *In* 1. *Georg. v.* (g) *Noct. lib.* 3. *c.* 2.

Nunc ad ritus ipsos accedo. De Confarreatione haec Dionysius Halicarnassaeus (*a*), *Vocabant antiqui sacras nuptias, Romana quadam appellatione rem exprimentes, confarreationem a farris communicatione*: post quae generalem *sacrificii* mentionem habet; tum ad alia aberrat. De eo sacrificio aliquanto uberius Servius (*b*) in hunc modm, *Nuptiae fiebant farre, quum per Pontificem Maximum, et dialem Flaminem per fruges et molam salsam conjungebantur; unde confarreatio appellata*. Idem sacrificium verbo meminit Ulpianus (*c*); sed aliquid aliud porro addit. Verba ejus sunt, *Farre convenitur in manum certis verbis, et testibus decem praesentibus, et solemni sacrificio facto, in quo panis quoque farreus adhibetur*. At quis est, qui collatis Dionysii, Ulpiani, ac Servii locis ritum illum se probe nosse dicat? Nempe illi satis habuerunt rem suis temporibus protritam cursim attigisse. Sed et lectissimis JCtorum, ac Philologorum sat fuit Dionysium, Ulpianum, ac Servium laudasse, sicque cura defungi. Primus omnium subtilissimus Mazochius audere novi aliquid maluit, quam in tenebris jacere. Is (*d*) primum ait, nulla apud Romanos inde usque a Numa (*e*) facta olim sacra sine pio farre, ut intelligi non possit, cur sponsorum confarreationi factum sit nomen a farre, quod commune erat omnibus sacris. Deinde ait confarreationem Dionysio teste a Romulo institutam: usum vero farris in Romana Sacrificia primum a Numa inlatum, testimonio probat Plutarchi (*f*), ac Plinii (g); ut proinde confarreatio usu farris antiquior aliunde sit quam a farre. Demum ait a farre non confarreare; et confarreationem, sed farcare, et fareationem deduci debuisse; nec posse dici, quo pertineant composita illa, quibus collectio quaedam farris significatur. Hanc igitur facit conjecturam vir summus, *confareationem* esse a veteri verbo *confari*, quod *condicere* Latinis erat: sicque confareationem esse condictionem italice *appuntamento*. Argumento ei est locus Ulpiani, qui ritum confareationis enarrans meminit primo loco *certa verba*, tanquam praecipuam observationem. Hinc conficit, confareationem nihil fuisse aliud Romanis, nisi verborum conceptionem, qua futuras nuptias stipulabantur, ac promittebant. Ita derivat is *diffareationem* a verbo *diffari*, interpretaturque contrariorum verborum conceptionem, seu dissolutionem obligationis per mutua verba contraria italice *disdetta*. Denique *confarreationem* duplici canina litera scribi, ac solo *farris* nomine designari coepisse ait post probatum in vulgus falsum ejus vocis etymon a farre.

H Quum

(a) . . . (b) *In lib.* 1. *Georg.* (c) *Tacit.* 4. *Annal.* 16.
(c) *Fragm. tit.* 9. (d) *d. Diatr. n.* 12. *Adnot. V.*
(e) *Plutarc. in Num.* 2. (f) *Ibid.* (g) *Lib.* 18. *c.* 2.

Quum primum Mazochiana haec legi, acre et ferax ingenium hominis non potui satis mirari: mox quum coepit animus residere, injectus est scrupulus, qui diu haesit. Quid enim caussae est, quamobrem a *praefari* sint *praefatus*, *praefaturus*, *praefatio*: a *confari* autem *confareatus* (*a*), *confareaturus* (*b*), *confareatio*? maxime quum adhuc reliquum sit *confatale* (*c*): quod certe deductum est ab antiquo *confatum*, uti *fatale* a voce *fatum*; quod item a *fando* est. Haec mihi animo reputanti exemit scrupulum locus ille 12. Tabularum (*d*): *Ni testimonium fariatur* ita enim habent omnes antiqui Codices cum impressi, tum mss. (*e*) ut frustra sint Cujacius (*f*), Hotomanus (*g*), et Salmasius (*h*), quorum primus mavult *feriatur*, secundus *fateatur*, novissimus *fari iatur*, id est *eat dicere*. Est autem *fariatur a fariari*, quo veteres pro *fari* usos, auctoritate Diomedis adstruunt Raevardus (*i*), et Rosinus (*k*). Igitur ita demum posset Clariss. viri conjectura consistere, si ut *fariari* pro *fari*, sic pro *confari* ac *diffari* posita olim dicas *confariari* aç *diffariari*; tum ex his deducas *confareationem*, et *diffareationem*, i litera in e mutata.

At vero quatuor alia sunt, quae obstant. Primum est. Mazochianam de confareatione conjectionem stare nullo modo posse, nisi eum ritum fuisse sponsalitium omnino statuas. At fuisse nuptialem jam satis evici. Secundum est, quod Tacitus habet (*l*) *Patricios confareatis parentibus genitos*; etsi enim confareatae nuptiae recte explicari ex Cl. viri sententia possent *futurae nuptiae condictae*; explicari tamen haud possunt *confareati parentes*. Tertium est, quod Dionysius (loc. cit.) scribit, *confareationem esse farris communicationem*: ut autem labi potuerint alii in tradenda ejus vocis originatione, certe vero non potuit Dionysius, quo Romae degente stabat is ritus. Et plane constat floruisse Dionysium sub Augusto, ac vigintiduos perpetuos annos Romae moratum. Et porro Taciti (ibid.) testimonio patet, *confarreandi adsuetudinem* aevo Tiberii adhuc *inter paucos retentam*. Quartum est, ne ipsum quidem Ulpianum confarreationis etymon latere potuisse, namque ad ejus usque tempora perstitit is ritus; et vero is de eo loquitur, tanquam de re praesenti, *farre convenitur in manum*: *panis farreus adhibetur*. Porro hic idem Ulpiani

(a) *Tac. 4. Annal. 16.* (b) *Apul. lib 10. Met.*
(c) *Tull. de Fat. c. 13.* (d) *Gell. Lib. 15. cap. 13.*
(e) *Raevard. in 12. Tab. cap. 10.* (f) (g)
(h) *Obs. ad jus attic. c. 30.*
(i) *Lib. 8. Antiqu. c. 6. p. m. 793.*
(k) *Lib. 8. Antiqu. c. 6.* (l) *Annal. 16.*

piam locus falsi eos arguit, qui omnino intercidisse post Tiberium confarreandi morem putant eo argumento, quod omissam suo tempore coufarreandi adsuetudinem Tiberius dicat apud Tacitum (ibid.) At vero quum farreatas nuptias suo quoque aevo celebratas, non obscure tradat Dionysius, *Confarreationem* exponit farris *communicationem*:, tum farris communicationem in eo positam subdit, quod mulieres cum viris *sacratissimi, et primi cibi* (farris) *participes fierent*. Quod autem Dionysio *far* dicitur, Ulpianum *panem farreum* appellat.

Habes hinc quod reponas Mazochio roganti cur *confarreatio* a *farre* sit, quod sacris omnibus commune erat. In omni quidem sacrificio, *in quo victima cremabatur igne*, *initium a farre factum*, hoc est victimam farre adspersam tradit Halicarnassaeus: partes etiam victimae farina farris involutas constat: at vero ejus sacrificii, quod nuptiarum caussa fiebat, peculiare fuit, *panem farreum* viro, ac mulieri libandum offerre; qua de re mox uberius. Fortasse pani, antequam offerretur, sacra aliqua formula benedicebat Sacerdos: tunc eum dissecabat sive Sacerdos, sive vir: sicque *per panem* ab utroque conjuge libatum sanctissimae nuptiae apud antiquos Romanos contrahebantur. Passim apud gentes sive per panem, aliumve cibum, sive per poculum, sive per utrumque nuptiae factae. *Panem apud Macedonas sanctissimum fuisse coeuntium pignus*, inquit Curtius (lib. 8. c. 4. n. 27.) *quem divisum gladio uterque libabat*. Solonis lex erat ut malum cydonium comederet sponsa cum sponso. (Plutarch. in Solon.) Apud Galatas ex eodem poculo vir et uxor bibebant. (Plutarch. de clar. mulier. Alex. 2. dier. gen. 5.). *Conjugatis sub velo stantibus panem et vinum a Sacerdote benedictum edendum et bibendum* dari consuevisse, auctor est Aurelianus (ad Tacit. n. 272.) De Persico ritu vid. Arrian. 7. 1. 22. Vide alia apud Strukium convival. ant. 1. 30. Sed est aliud in hoc ipso confarreationis ritu, quod aliorum sive intelligentiam, sive diligentiam fugit. Halicarnassaeus, Servius, et passim alii de confarreatione agentes, *sacrificium*, tanquam rem praecipuam meminere. At vero nullae apud Romanos celebratae nuptiae sine sacrificio. Apud veteres uxor duci sine sacrificiis non poterat. Serv. in 3. Æneid. v. 136.: unde elegantissime Virgilius (ibid.) *connubiis operari* dixit pro *sacrificare*; *perficere propter connubia*, uti exponit Servius: et quandoque *operari* simpliciter est *sacrificare*. Virg. 1. Georg. v. 339. Valer. Flac. 18. Argonauti de nuptiis Jasonis et Medeae. *Inde ubi sacrificas cum conjuge venit ad aras*. Forte sacrificatum *diis nuptialibus*, de quibus v. Plut. Quæst. Rom. q. 2. Unus Ulpianus primo certa ver-

 ba,

ba, secundo decem testes, tertio loco sacrificium meminit, tanquam rem minus praecipuam. At sacrificium illud Ulpianus *solemne* appellat: hoc est, *solitum*, et *ordinarium*: cujus significationis permulta occurrunt exempla in libris juris. Vid. Brisson. Ulpianum sic interpretor, *facto sacrificio solemni*, hoc est, *semper in nuptiis fieri solito*, *in quo panis quoque farreus adhibetur*, hoc est in eo solo, quum contrahuntur nuptiae per confarreationem.

Desunt nonnulla.

Ante Numam Romani interdum farre, interdum sine farre sacrificabant. Et sane sub Romulo lacte libatum auctor est Plinius (*a*). Lacte etiam priscos agricolas Sylvanum piasse scribit Horatius (*b*). Ac demum lacte, sapa; et milio sacra Pali deae a vetussissimis Romanorum soluta Ovidius narrat (*c*) . . . . Verum quid ei reponas Plutarchi et Plinii testimonia objicienti de farris usu non ante Numam in sacra Romanorum inlato? Plutarchus quidem nihil obturbat, namque illud is refert inter instituta Numae, *sine farre ne sacrifices*: quae verba non ita sunt intelligenda, quasi far in Romana Sacrificia primus invexerit Numa, ut ea vir cl. interpretatur, sed in eam sententiam accipienda, Numam primum Romanis imposuisse farris necessitatem. Unus me commovet Plinii locus: *Numa instituit Deos fruge colere*, *molaque salsa*, hoc est molito farre *vere supplicare*, quum tamen constet ex Dionysio, confarreationem vel sub ipso Romulo usurpatam. Raevardus (*d*) Plinii testimonio *certissimum* inquit, confarreationem a Romulo institutam non esse. Contra Heineccius (*e*) falsum in ea re Plinium ait; Cato enim apud Servium (*f*) *boves in Latio immolatos* scribit; Quumque *immolare* sit *mola*, hoc est molito farre hostiam inspergere, consectaneum est, vel ante Romuli tempora farris usum in Latio fuisse receptissimum. Ego hoc idem alibi (*g*) agens ante annos septem, quod de recepto apud Latinos usu farris ex Catone conjicit Heineccius, libens probavi; locum tamen Plinii nec Raevardo, neque Heineccio satis fuisse intellectum scripsi. Et vero non inquit Plinius, primum Numam omnium farre usum in sacrificiis: ait Numam instituisse *mola* supplicare: erat autem mola, uti Festus docet, *far tostum*. Ante Numam igitur farre non tosto utebantur: Numa far tostum voluit, quod *putum non esset ad rem divinam nisi tostum*: quae ejusdem Plinii verba sunt. Tum me poenituit ejus interpretationis. To-
sto

(a) *Lib.* 14. *cap.* 12. (b) *Ep.* 1. (c)
(d) *Ad LL.* 12. *Tab. cap.* 12.
(e) *Antiquit. ad Instit. tit.* 10. *n.* 2. (f) *In* 10. *Aeneid. v.* 541.
(g) *In Comm. ad tit.* 10. *Instit. de nupt.*

sto quidem farre primum usus Numa, qui et *fornacalia* instituit, hoc est, *farris torrendi ferias* (a); verum *mola* non est *far tostum molitum*, sed dumtaxat *far molitum*, alioqui abundarent ea, quae continuo sequuntur apud Plinium, *et far torrere*. Ergo duo Numae instituta Plinius enarrat, alterum de farre in sacrificiis adhibendo, alterum de torrendo farre. Mihi ante annos septem fraudi fuerunt Festus, et plerique Grammaticorum, qui *molam* interpretati sunt *far tostum molitum*; quum tamen proprie sit *far molitum*. Torreri quidem far debebat ex instituto Numae; sed non erat tamen qualitas illa farris eo vocabulo comprehensa. Numnam igitur confarreatio a Romulo instituta, antequam far coepisset in Romana sacrifacia inferri? Id vero absurdissimum est. Sed quis fuerit confarreationis auctor, et quid Plinius senserit, videamus. Confarreationis auctor certe Romulus. Hujus rei testem do Dionysium, qui primum Romuli legem describit in haec verba, *mulier nupta, quae ex sacratis legibus in manum viri convenit, cum eo omnium et bonorum, et sacrorum particeps esto*. Tum subdit, *vocabant autem Antiqui* . . .

Desunt alia

Jam vero uxorum *formae duae*, verba sunt Tullii in Top. cap. 3. n. 14. *una matrumfamilias, earum* (hoc est puta earum, sicque nihil est, cur vulgatam lectionem exagites) *quae in manum convenerunt: altera earum, quae tantummodo uxores habentur*. *Hae matronae* dictae, et non in viri *manum*, sed in *matrimonium* conveniebant. Gellius lib. 18. cap. 6. In matrimonium autem convenire erat matrimonio jungi: convenire in manum erat *non in matrimonium tantum, sed in familiam quoque mariti, et in sui heredis locum venire*. Gellius ibid. Hinc quae conveniebat in manum viri, sacrorum, quae propria erant familiae, particeps fiebat ex instituto Romuli apud Halicarnas. lib. 2., ex quo veteri instituto *Nuptiae divini et humani juris communicatio* dicuntur Modestino l. 1. de Rit. nupt. ac *filiae loco* esse, quod Cajus addit in collat. LL. Mosaic. tit. 16. Hinc etiam si qua parenti suo filiafamilias erat, in viri manum conveniendo, e potestate parentis exibat, coeperatque esse *in manu mancipioque mariti, aut in ejus, in cujus maritus manu mancipioque esset*, quod idem Gellius habet. Hinc in manum conventionem demum Ulpianus 11. Fragm. 13. appellat minimam capitis deminutionem, qualis adoptio est: quo spectat locus ille Tullii in Topic. . . . . . . *Si ea mulier testamentum fecit, quae se capite numquam deminuit*: in quem locum vide Boethium. Sed quo ritu convenire in ma-

(a) *Plin. ibid.*

manum dicebatur uxor, seu quod idem est, materfamilias fieri? Id nec Cicero, nec Gellius exponit laudatis locis. At vero idem Cicero alibi usu et coemtione uxores convenire in manum, matresquefamilias fieri scripsit. Ecce tibi ejus verba ex Oratione pro Flacco cap. 34. n. 84. *In manum* (male quidam in *matrimonium*) *convenerat. Nunc audio, sed quaero usu, an coemtione?* At vero Boethius coemtione sola conventum in manum docet his verbis: *Quae autem in manum per coemtionem convenerant, hae matresfam. vocabantur, quae vero usu vel farre, minime.* Boethius hoc loco minus proprie videtur loquutus. Nam τὸ *quae vero usu etc.* explicandum sic, *quae vero in manum convenerant usu*. Sicque aliud scripsit ab eo, quod sensit.

Num etiam confarreatione conveniebatur in manum? Negat Boethius, quem Mazochius sequitur. Et quidem Tullius in Flacciana de in manum conventione agens coemtionis, atque usus meminit, de confarreatione tacet. Quin Boethius coemtione sola inquit conventum in manum, non item usu: qua in re si dicas usu ante exactum annum dumtaxat in matrimonium, exacto demum anno in manum quoque conventum, recte conveniet Boethio cum Cicerone.

PUBLICA DISPUTATIO

In L. 40. d. de adquir. vel omitt. heredit.

Publice disputandum suscipio, quod Domitius Ulpianus jam publice disputavit; est enim descriptus hic locus ex libris disputationum, quas fuisse ab eo publice habitas, scribunt Diocletianus et Maximianus l. Divo Marco n. Cod. de Quaest. in haec verba. *Vir prudentissimus Domitius Ulpianus in publicarum disceptationum* (praestat legere cum Haloandro disputationum) *libris ad perennem scientiam et memoriam refert.*

Quoniam vero argumentum, quod edisserendum aggredior, adeo latum fusumque est, ut concludi horae spatio non possit, operae pretium duco non verba ipsa legis recitare, uti ex scripto recitarentur, sed ita ut aliquanto uberiore paraphrasi exornata rem totam, quantum res ipsa patitur, exponam.

Loquitur Ulpianus de eo, quem paterfam. primis tabulis sibi, secundis filio impuberi heredem scripsit, atque illud fuisse quaesitum ait, num si is paternae hereditatis nihil attingat, puta hereditate patris omissa, aliquid tamen propter patris voluntatem habeat vel faciat; habeat ex substitutione, ut bene Accursius, quae licet

licet filii testamentum sit, patris tamen judicium est L. 8. §. Sed nec D. de inoff.; faciat se pro herede gerendo, uti recte Cuj. ad l. 12. de vulg. in lib. 3. quaest. Pap., num inquam is paternis creditoribus cogatur respondere. Tum subdit Ulpianus Juliani sententiam, qui lib. 26. ff. scribit, cum si se immiscuit impuberis hereditati, incidere in edictum, hoc est cogi eum paternis creditoribus respondere: eamque rationem sane elegantem addit, nam qui judicium parentis oppugnaverit, puta hereditate ejus omissa, non debet ex eadem, h. e. ex paterna hereditate quidquam consequi. Postremo Marcelli notam subjicit. Non laudat Ulpianus librum Marcelli, ex quo notam descripsit, neque prostat is liber in Indice Justiniani. Sed satis constat ex l. 1. et ex epigraph. l. 11. quod metus causa scripsisse Marcellum notas in libros digestorum Juliani, quibus Julianum castigat, quo factum ut Jurisconsulti aliquid certi juris esse ostendant, ea formula Julianus hoc dicit et consentit Marcellus. U. l. si Servus §. Sed cum is, qui servum D. ad l. Aquiliam l. 2. in fin. de nox. act. Sed e diverticulo in viam. Marcellus multum interesse arbitratur, num ex asse fuerit institutus in patris testamento, an ex parte; ut si ex parte, potuerit sine metu remota patris successione impuberis hereditatem amplecti, nec paternis creditoribus cogatur respondere; si vero ex asse secus. Jam videtis, quid distet a Juliano Marcellus. Sententia Juliani est, heredem patris, eumdemque impuberi filio substitutum, si paterna hereditate omissa impuberis hereditati se immiscuerit, semper cogi paternis creditoribus respondere. Sententia Marcelli est, ita demum cogi, si patris heres de asse institutus sit.

Haec uti sunt a me recitata ex Ulpiano, sunt obscuriora quam fortasse videri possunt, ac sedulum interpretrem desiderant: fierent tamen perspicua, si species Ulpiano affingeretur. Sed hoc opus, hic labor.

Nunc ut ordo lucem afferat orationi, ejus tres faciam partes, quarum prima varias obscurissimi hujus loci species expendet, ac probabilem saltem de Juliani sententia conjecturam proponet. Secunda interpretationem notae Marcelli dabit; tertia hunc locum conferet cum l. 42. h. t. ubi Julianus loqui contraria videtur, et cum l. paterfam. de priv. cred. ubi, Javolenus nonnullis pugnare videtur cum Juliano, nonnullis cum Marcello.

Prodeat omnium prima species Accursiana. Filium impuberem, et extraneum heredes scripsi, tum filio extraneum ex pupillari formula, si heres erit et in aetate pupillari decesserit, substitui. Filius heres est pro sua parte, et nondum factus pubes moritur: extraneus partem suam, sicque hereditatem incapi repudiat, vult tamen

tamen pupillo ex substitutione succedere. Nunc illud quaeritur, an pupillo substitutus, qui hereditatis meae partem repudiavit, creditoribus meis pro parte, quam recusavit, cogatur respondere: et ait Julianus cogi, perinde ac si hereditatem meam pro ea parte adiisset. Accursius igitur heredem patris, eumdemque filio coheredem et substitutum, prorsus extraneum fingit.

Sed ego vereor, ne quid vitii habeat Accursiana haec species. At constare de eo non potest, nisi constet prius, quodnam sit Edictum illud, in quod substitutum incidere inquit Julianus. Verecundissimus Accursius adjecta dubitationis nota *forte* suspicatur illud esse, de quo est peculiare caput in Pandectis *si quis omissa causa testamenti*; quod et Cuj. lib. 18. obs. c. 8. et Martio Gordonio Praetermis. Jur. c. 13. est visum: sed continuo Accursium deterret is obex, quod Julianus hoc loco de paternis creditoribus loquatur, cum tamen ex l. 1. ac toto titulo si quis omissa caussa exploratissimum sit eo edicto legatariis quidem, et fideicommissariis, non creditoribus fuisse consultum. Hinc addit Edictum Juliani prorsus aliud fuisse, quod temporis injuria intercidit. Hanc posteriorem conjecturam arripuit Bartolus, qui novo huic edicto hanc sententiam affingit: *quisquis paternam hereditatem repudiaret, pupillarem habere non posse*. Ant. Faber dec. 32. de Error. Prag. er. 1. et novum istud edictum ridet, et priorem Accursii conjecturam refellit: at is nec meliora, nec pejora in medium profert, sed hostem fingens, quem feriat, novi edicti nugas magno Cuj. placuisse ait; cum tamen Cuj. totus sit in eo, ut Juliani edictum esse edictum *si quis omissa causa* demonstret. Et sane tradit, quod Julianus scribit hoc loco, substitutum incidere in edictum, ita esse accipiendum, quasi diceret, incidere cum in sententiam edicti; etsi enim soli legatarii, ac fideicommissarii verbis edicti comprehendantur; ex sententia tamen edicti, et per consequentias, ut Cuj. loquitur, creditoribus paternis tenetur, qui legatariis tenetur, quibus post creditores demum praestari legata juris est. Cujacianam hanc interpretationem confirmat V.C. Dominicus Aulisius ad tit. de vulg. q. 16. ex l. in vulgatis Pandectis si pupillus, in Flor. Julianus 42. h. t. ubi Ulp. de creditoribus paternis verba faciens edicti meminit si quis omissa causa testamenti. Sed de hac lege 42. in tertia praelectionis parte.

Nunc ut ad Accursianam speciem, unde divertit, mea revertatur oratio, dubitabundus ajo vix esse, ut habere locum possit, si ad edictum si quis omissa causa referatur. Certe edictum illud contra eos est, qui omissa causa testamenti ab intestato possident hereditatem, ut ex ipsis tituli verbis compertum fit. At vero si fingas

gas heredem patris, eumdemque substitutum filio prorsus extraneum esse, quo pacto possit is hereditatem ab intestato possidere, plane non intelligo. Scio quidem Pandectarum caput ita inscribi, *si quis omissa causa testamenti ab intestato, vel alio modo possideat hereditatem*. Sed et illud scio verba illa *vel alio modo* referri debere ad alias causas, seu titulos possidendi universales praeter causam intestatae successionis, qua de re Ulricus Huber. ad tit. D. si quis omissa causa. Quomodo autem extraneus hereditatem, quae jam ad heredes legitimos pertinet, ex universali causa possidere possit, ego non liquere pronuncio. Porro pergit Accursius, aitq; idem esse si fingas extraneum filio ex herede scripto ex asse institutum, tum filio ex pupillari formula substitutum: Atq; hanc speciem fingit Jac. Cuj. 18. obs. 8.

Sed et Accursius et Cuj. in hac specie labunt. Si enim fingas extraneum ex asse institutum paternam hereditatem repudiasse, qua ratione possit pupillarem substitutionem amplecti non video. Quoniam enim post longam disputationem inter Sabinianos, et Proculejanos, quorum hi patris et filii testamentum duplex, illi unum dixere (nam peccat Merillius, qui 3. obst 12. Proculejanorum sententiam Sabinianis affingat; quod luculenter probat Gotfridus Mascovius); quoniam inquam post longam disputationem paterni testamenti partem esse et accessionem, ut Tribonianus tradit lib. 12. Inst. de pup. subst. §. liberis 5., consectaneum illud est, paterno testamento destituto pupillares tabulas corruere. Auctorem laudo Ulpianum l. moribus 2. §. 1. de vulg., ubi, *nisi adita*, inquit, *patris hereditas sit, pupillare testamentum evanescit*. Mortuo igitur, antequam in suam tutelam veniat, filio impubere, hereditas legitimis defertur heredibus, atque omnis de substituto inutilis est quaestio. Id quidem vitium prior Accursii species non habet; nam si fingas substitutum filio coheredem datum, quae prior est Accursii species, quod extraneus partem suam recusat, id nihil quidquam obturbat, nam filius heres est, et quidem suus, qui nullo facto suo, sed jure ipso est heres l. in suis 11. de lib. et post. l. si patruus 12. §. ult. de bon. lib. l. in suis 14. de suis et legit. Unde sui heredes Theophilo ad tit. Inst. de bon poss. dicuntur ἀναφαινέσθαι, hoc est *continuo apparere*.

Franciscus Duarenus ad h.t. sub fin. contendit unum fuisse testamento patris scriptum heredem, et impuberi filio exheredato substitutum, sed eum tamen fuisse impuberi filio fratrem, quod videatur Ulpianus de instituto loqui tamquam de filio ibi. *Quaesitum est, an licet, quis paternae hereditatis nihil attingat, aliquid tamen propter patris voluntatem habeat, creditoribus paternis*

ternis cogatur respondere : at mox : *Nam qui judicium parentis oppugnaverit* : ac demique , *remota patris successione impuberis hereditatem amplecti*. Verum posset quispiam verba illa *paternae hereditatis*, *patris voluntatem*, *creditoribus paternis*, *et remota patris successione* ad impuberem ipsum referre, quo ea refert Cuj. in lib. 3. quaest. Pap. ad l. si filius , qui patri 12. de vulg. . Potuisset Duarenus alio argumento , quod ex hoc ipso loco suppetit, idem probare. De substituto enim sie habet Ulpianus ; *Julianus scribit incidere eum in Edictum*, *si se immiscuerit impuberis hereditati*. Verbum *immiscuerit* momentosum est. Immiscere se sui tantum , vel necessarii heredes, Juriscousultis dicuntur , quemadmodum extranei adire l. 56. l. 57., l. 91. de ad. her. l. 6. §. 1. ad Treb. §. extrancis Inst. de her. qual., et aliis locis quam plurimis apud Briss. de U.S. Et recte immiscere se dicitur frater fratri impuberi substitutus, quod necessarius ei heres sit . Diserte Ulp. d. l. 42. *Ceterum* , inquit , *si frater a patre fratri impuberi substitutus sit* , *sine dubio necessarius heres exsistet* . Speciem a Duareno confictam retinent nonnulli , eamque hac argumentatione confirmant. Filius patris heres in primis tabulis et fratris sui impuberis ex secundis abstinet ab hereditate paterna , sicq; nihil ejus attingit : quoniam vero id Praetoris beneficio fit , qui neque heredem facere neque exheredem potest , filius , qui se abstinuit , adhuc est heres. Nudum autem sui heredis nomen pupillares tabulas confirmat: quae sententia et si Duareno displiceat , placet tamen Cuj. , et plerisq. aliis , apertissimisque locis juris probatur ; sicque in proposita specie pupillaris substitutio non corruit ; quae tamen in priore Ulpiani specie corruebat .

Verum hac facti specie nihil absurdius . Finge filium patri heredem , atq; impuberi fratri substitutum . Quid juris sit vide . Is paterna hereditate abstinet ; tum vult fratris hereditatem amplecti . Quaero , num possit patris ac fratris hereditates separare. Quaero , num sola fratris hereditate cognita paternis creditoribus respondere cogatur . Ajo hereditates separare posse . Ajo creditoribus respondere non cogi . Hereditates separat Juliano ipso auctore, eodem ipso libro D. 26. l. 41. h.t. Filius , qui se paterna hereditate abstinuit , si exheredati fratris hereditati se immiscuerit et pro herede gesserit , poterit ex substitutione hereditatem obtinere . Creditoribus paternis respondere non cogitur auctore Papiniano d. l. 12. de vulg. *Si filius* , *qui patri ac postea fratri ex secundis tabulis heres extitit* , *hereditatem patris recuset* , *fraternam autem retinere malit* , *audiri debet* . *Justius enim Praetorem facturum existimo* , *si fratri separationem bonorum concesserit* : *etenim jus di-*

centi

centi propositum est liberos oneribus hereditariis non sponte susceptis liberare, non invitos ad hereditate removere. Frater igitur, etsi jure civili separationem hereditatum obtinere non possit, sicque paternae hereditatis onera a se removere, quia cum pupillaris substitus sit heres impuberis §. igit. Inst. de pup. in omne jus impuberis succedat, necesse est l. nihil est de V. S.; atque ita onera subeat paternae hereditatis, quae jam filii patrimonium sunt facta L. Jurisconsultus §. de excus. tut.; si tamen Praetorem adeat; cum audiri debere Papinianus inquit, ac Praetorem justius facturum, si fratri speparationem bonorum patris concesserit. Justum quidem jus civile est, quod speparationem denegat: at justius Praetorium jus, quod separationem indulget: atque hoc est δίκαιον δελτιον δίκαιον. *justum melius justo* apud Aristotelem. Ratio autem Praetoriae acquitatis ea est, quam elegantissime, qui stilus est hominis, Papinianus tradit his verbis. *Etenim jus dicenti propositum est liberos oneribus hereditariis non sponte susceptis liberare, non iuvitos ab hereditate removere.* Sententia Papiniani haec est, si frater non posset hereditates separare, invitus ab hereditate removeretur, omitteret enim fraternam hereditatem, ut se hereditatis paternae oneribus eximeret: idque contra votum. Aut ego fallor (sed certe non fallor) aut quae ex Juliano ac Papiniano disserta sunt, Duareni speciem prorsus convellunt. Nam ea species Juliano affingenda est, quae locum faciat edicto, hoc est, qua substitutus, qui paterna hereditate omissa, impuberis hereditati se immiscuerit, creditoribus paternis respondere cogatur. Sed is substitutus certe frater impuberis esse non potest, nam frater separationem hereditatum impetrat, sicque a se amovet onera paternae hereditatis.

Obstat argumentum, quod proposui, a verbo *se immiscuerit* ductum; Romanorum quidem jurisconsultorum auctore Quintiliano 5. Inst. Orat. c. ult. summus fuit circa verborum proprietatem labor: eaque praecipua Ulpiani nostri laus est, qui proinde propter studium verborum *venator nominum* dicitur Athenaeo in Caenis sapientum. Interdum tamen verbis abusi sunt; quod hoc uno exemplo probatur satis. Certe gerere gestoris negotiorum proprium est, non procuratoris, eo tamen verbo abusus est Ulpianus l. 33. de proc.

Martius Gordonius loco cit. contendit heredi patris impuberi substitutum fuisse fratrem testatoris, adeoque impuberi patruum. In hac specie fit locus Edicto, quoniam enim substitutus agnatus est, recte potest ab intestato possidere, sicque quod in fraudem Edicti possideat, creditoribus paternis respondere cogi. Perperam Gordonius, nam ita inutilis fuisset Marcelli nota. Marcellus ait

 sub-

substitutum, si fuerit ex parte scriptus heres testamento patris, nullo metu posse remota patris successione impuberis hereditatem amplecti; si ex asse, haud posse. Quid vero ea distinctione erat opus? Patruus substitutus sive ex parte, sive ex asse scriptus heres fuerit, in specie Gordonii semper respondere cogeretur, semper enim omissa testamenti causa in fraudem creditorum possideret.

Audio submurmurantem nescio quem. Qualis tandem fuit in specie Juliani heres patris filio impuberi substitutus. Ego per multam noctem de hoc loco sollicitus, tandem ita statui apud me. Juliani species ita fingenda est, ut heres non sit extraneus, cui sit coheres filius impubes, nam hic possidere ab intestato non potest; non extraneus solus, nam corruente ob non aditam hereditatem substitutione hereditas ad heredes legitimos redit; non frater impuberis, idemque filius testatoris, nam frater separatione impetrata metuere sibi ab edicto non potest: non denique frater testatoris, nam ita Marcellus suavissime fuisset nugatus. At haec si vera sunt, ego sic sentio speciem Juliano affingi non posse: nam si personam substituti spectes, unum ex his tribus affirmes oportet, aut prorsus extraneum fuisse, aut adgnatum, aut suum. Quidquid dixeris, absurdum. Si spectes institutionem, alterutrum dicas necesse est, aut ex asse heredem scriptum, aut ex parte: utrumque alienum. Praeterea, quoniam Julianus eo nomine a Marcello notatus est, quod non distinxerit, certe Juliani species ita affingenda est, ut nihil intersit, num heres ex asse, an pro parte sit scriptus. Talem vero speciem si nemo alius finxit adhuc, num ego in summa animi trepidatione confingere possim, videte.

At videamus, quid in hac re sit conatus aliquando feliciter audax Antonius Faber. Ait is locum hunc juris, nisi a Triboniano corruptum dicamus, plane explicari alias non posse. Vetus est quidem haec Fabri cantio de Triboniano, et vetus est Interpetrum querela de Fabri licentia, sed forte in tot tantisque angustiis ferenda. His autem argumentis conjecturam suam adstruit. Principio Julianus ait substitutum incidere in edictum. At quodnam est edictum istud? non aliud nisi edictum si quis omissa causa testamenti. An ne igitur eo edicto creditoribus cautum? Ex verbis edicti legatariis tantum et fideicommissariis, ex sententia etiam creditoribus. Ita ex Cujacio interpetres. Sed quem locum juris in eam rem Cujacius laudat? nullum, neque laudare ullum poterat, nam creditoribus consulere ex mente edicti non est. Legatariis et fideicommissariis subveniendum putavit Praetor, ut conservarentur legata et fideicommissa, quae alioqui deserto testamento ipso jure intercidissent. Creditorum salva semper res est. Omittitur causa

testa-

testamenti? legitimi heredes creditoribus respondent. Ab intestato etiam repudiatur hereditas? praesto est missio in possessionem, ac bonorum venditio tot. tit. quibus ex causis in posses. de rebus auctoritate Judicis possidendis. Vacantia bona Fiscus occupat ex lege Julia? Fiscus creditoribus facit satis l. 1. et passim de J. F. At vero detur Cujacio edicti sententiam ad creditores pertinere: pertinebit certe, ubi hereditas coeperit ab intestato possideri: quae species cum Juliani loco non convenit, nam loquitur J.C. de eo substituto, qui etsi nihil paternae hereditatis attingat, aliquid propter patris voluntatem habeat, ac proinde de illo qui successit impuberi ex substitutione pupillari, quae licet testamentum filii, judicium tamen patris est l. Papinianus 8. sed nec de inoff.. Deinde, quod ex hoc loco apertissime patet, Juliani sententiam fuisse a Marcello notatam, id falsum esse contendit Faber, aitque Marcello bene convenire cum Juliano, cujus conjecturae momenta haec sunt. Marcelli distinctio haec est. Si substitutus ex parte fuit scriptus heres testamento patris, potest sine metu remota patris successione impuberis hereditatem amplecti: si ex asse, non potest. Hoc idem ante Marcellum tradiderat Julianus in l. Ita tamen 27. §. qui suspectam 2. ad Trebel., cujus elegantissima species haec est. Proponebatur heres institutus hereditatem restituere rogatus, idemq; impuberi substitutus, qui hereditatem patris suspectam dixit, et coactus adiit. Romae Praetores fideicommissarii heredes restituere rogatos, qui hereditates suspectas dicebant, adire cogebant tuendorum fideicommissorum causa; quod de minoris summae fideicommissis accipiendum est, nam majorum fideicommissorum cognitionem sibi Consules vindicabant. Apposite Quintil. 6. Inst. *Non debes*, inquit, *apud Praetorem petere fideicommissum, sed apud Consules, major enim Praetoria jurisdictione summa est.* Heres igitur coactus adiit. Quaesitum fuit, num pupillarem quoque hereditatem postea sibi delatam et adquisitam fideicommissario hereditatis paternae restituere cogendus esset. Respondit in hanc sententiam Julianus. Si pupillaris substitutio his verbis concepta, *quisquis mihi heres erit, idem filio meo heres esto*, pupillaris quoque hereditas fideicommissario paternae hereditatis restituenda est ea ratione, quod nihil habere commodi ex testamento potest, qui non volens lubens, sed coactus fuit heres. Si vero pupillaris substitutio his verbis concepta sit, *Titius filio meo heres esto*, distinguit: aut Titius solus scriptus est heres, aut adjecto coherede, seu quod eodem redit, aut ex asse, aut ex parte. Si ex asse, pupilli quoque hereditatem restituere cogendus est, quia nisi coactus paternam hereditatem adiisset, hereditatem pupilli non haberet. Si ex parte, pupil-

pupilli hereditatem retinet ea ratione, *quia potuit coherede adeunte, quamvis ipse patris omisisset hereditatem, ex substitutione adire*. Jam hoc quid aliud est, quam illud ipsum, quod Marcellus ad Julianum notat in textu? An Marcellus adeo infensus Juliano, ut falsam quoque notam summi Jurisconsulti nomini adspergeret? Cave putes adeo impudentem fuisse Marcellum. Atque haec acutissimus Faber, quibus late ac subtiliter discussis ruit in hac verba cap. 3. dec. 32. Quid ergo dicendum superest, ut nos ex tot non tam difficultatibus, quam ineptiis et absurditatibus extricemus? Id unum, de quo jam vix puto quisquam vel taceutibus nobis dubitabit, Triboniani esse ista omnia Juliani sententiam pessime corrumpentis, et Ulpiani nomine non sine mala fide abutentis,, Ilucusque contra Tribonianum Faber. Profecto si quis Fabri argumenta serio expendat, is Fabrum haud absurda loqui dixerit, Illud unum facit, ne Fabro adsentiar, quod si quis ab eo Tribonianum tam acerbe accusante quaereret, quod Cassius ille Romanus Judex in causis quaerere solebat, cui bono fuisset, quod Cic. scribit pro Roscio c. 30., quid reponeret non haberet. Chronologiae atque historiae ope reprehenderunt Critici saepe Tribonianum, vel ut Imperatorem suum palparet, vel ut Theodorae assentaretur, loca juris interpolasse. At in hac specie intelligere satis non possum, quid causae potuerit esse, cur Tribonianus Juliani et Marcelli nomina dehonestarit.

Ut ut sit redeamus ad Julianum. Ait is cogi substitutum paternis creditoribus respondere ea ratione, nam qui judicium patris oppugnaverit, non debet ex eadem hereditate quidquam consequi. Hic certe non est ferendus Antonius Faber, qui cr. 1. reprehendit ea verba ex *eadem hereditate*, quod putet nomine hereditatis venire hic utramque hereditatem patris ac filii; quo nihil dici falsius potest, cum extra dubitationem sit positum, patris ac filii duas esse hereditates unius testamenti d. §. igit.. At quis est, qui non videt verba illa *ex eadem hereditate* ad hereditatem patris referri, nisi quis malit hereditatem interpetrari testamentum, quod putavit post Fulgosium Cujacius.

PU-

PUBLICA DISPUTATIO

In L. falsa demonstratio 33. d. de condit. et demonstrat.

Si qua mei expectatio est, eam tueri non potest Marciani locus, quem mihi hesterno die iniqua sors obtulit in *l. falsa demonstratio* 33. *D. de cond. et dem.*; adeo est explicatu facilis, adeo vulgaris. Eo loco scriptum est, falsam demonstrationem neque legatario, neque fideicommissario nocere, neque heredi instituto. Quid notius? Id vel ipsi Justinianei aeque cum doctissimis quibusque sciunt. Sed videamus, num etiam *in re facili et vulgari* elucere ingenium possit. In Pandectis Florentinis est *Marcianus*: in libris vulgatis *Martianus*. Elementa C ac T passim commutantur; librarii enim utriusque elementi ductus in eundem prope modum effingebant. Ita in duobus titulis apud Reinesium *Æbucia* dicitur, quae alibi *Æbutia*, et *Vincius*, qui alibi *Vintius*. Floruit Marcianus sub Antonino Pio. Ejus rei testem do Tribonianum in §. 2. *Inst. de his qui sui vel al. jur. sunt*, ubi rescriptum laudat Antonini Pii ad Ælium Marcianum contra dominos in corpora servorum desaevientes. Jac. Gothofredus Marcianum nostrum confundit cum Marciano Messio: sed Gulielmo Grotio, Cornelio Van Eckio, aliisque, satis poenarum jam dedit.

Scripsit Marcianus libros bene multos de jure civili, in quibus sunt libri XVI. Institutionum, e quorum VI. descriptus est locus, qui nunc ad manum.

Ejus loci epigraphe haec est, *Marcianus Libro VI. institut.*. Praelectionis meae tres facio partes. Prima dabit Legis verba adspersis quibusdam adnotatiunculis, ejusque sententiam aperiet, confirmabitque: secunda illustrabit obscura quaedam juris loca Marciani loco in speciem contraria: tertia expendet nonnulla, quae ab interpretibus disputantur in utramque partem ejus loci.

Ait is, *Falsa demonstratio neque legatario neque fideicommissario nocet, neque heredi instituto, veluti si fratrem dixerit, vel sororem* (subaudi, qui quaeve, nec frater, nec soror erat) *vel quodlibet tale.* Florentini Pandectae habent, *vel quodlibet aliud*: veluti, ut exemplo utar Caii in *L.* 17. §. 1. h. t., si quis leget *Stichum cocum* (Ita scriptum est in Codice Thusco: in vulgatis *coquum*. Elementa C et Q saepissime commutari adeo protritum est, ut nihil sit necesse testato agi in hac re). Si quis, inquam, leget *Stichum coquum*, *Stichum sutorem*, qui neque coquus erat, neque sutor.

Per-

Pergit Marcianus, *Hoc ita juris civilis ratione, et Constitutionibus Severi et Antonini cautum est*. Constitutiones istae, quarum meminit Marcianus, aetatem non tulerunt. Quid autem caussae est, cur Marcianus a jure civili separet Constitutiones, quasi hae non sint, uti certe sunt, pars juris civilis? Hoc illud est, quod in vulgari isto Marciani loco interpretem requirit in libris juris non mediocriter versatum. Res est aliquanto altius repetenda. Veteres Prudentes, si qua difficilior obscuriorque incideret quaestio, convenire in forum mos fuit, quid juris esset, quaesituros. Eos quandoque juxta Apollinis Templum sedisse, ac *tractasse*, quod verbum proprium est disputationis, scribit vetus Scholiastes Juvenalis in *Sat.* 1. *v.* 128., quam is caussam adfert, cur Apollinem Poeta dicat *Jurisperitum*. Quod post multam disputationem omnibus aut plerisque videbatur, *juris regulam, fori sententiam, ac definitionem, appellabant*. Num sunt idem *Jureconsultorum decreta* apud Tullium *pro Murena cap.* 13? Ita conjeci in meis ad Libros Institutionum commentariis repetitae praelectionis, maxime quum ea separet Cicero a Jureconsultorum responsis ibi, *responsa atque decreta*. Responsa a singulis, decreta prodibant e conventu. Jam decreta ista si moribus utentium probarentur, jus constituebant *sine scripto veniens*, et communi nomine *jus Civile* dicebantur: cujus sei ecquem locupletiorem citare testem possum, quam Pomponium Jurisc., cujus sunt novissima, quae recitavi, verba in *L.* 2. §.5. *D. de orig. jur.*? Quo autem sanctius esset jus istud civile sine scripto veniens non raro Constitutionibus Imperatorum confirmabatur. Facile esset multa ejus rei exempla congerere. Sed ego satis habeo digitum intendere ad fontes. Adite Cujacium *Obs. lib.* 7. *cap.* 19. et Raevardum *De auctoritate Prudentum cap.* 14. Nunc ecce exserit se se sententia verborum Marciani. Quod inquit, jure civili, et Constitutionibus cautum, falsa demonstratione non vitiari legatum, fideicommissum, aut institutionem, perinde accipiendum, quasi dicat, id primum fuisse in conventu Prudentum inductum per interpretationem, tum Constitutionibus Severi et Antonini confirmatum. Heri inter scribendum occurrit mihi locus Javoleni in *L. qui dotalem* 40. h. t., ubi is de falsa demonstratione idem docens, quod Marcianus, ita placuisse ait Labeoni, Ofilio, ac Trebatio. Trium coaevorum Prudentum nomina non obscuro indicio sunt mihi ejus conventus, unde jus illud civile prodibat.

Demum scribit Marcianus, *Sed si controversia sit de nomine inter plures*, puta si duo sint Titii (et testator ad designationem nominis singulari nomine utatur, quam speciem tractat Mo-

desti-

destinus in *L.* 62. §. 1. *de her. inst.*, et Paulus in *L.* 8. §. 3. *de leg.* 2. in Pandectis Florentinis est *probaberit*. U literam, quum vice est consonantis, commutatam saepe cum litera B nemo unus ignorat) *qui probaverit*, *sensisse de se defunctum*, *ille admittetur*. At quales esse debent ejus rei probationes? *Apertissimas* reposcit Modestinus in cit. *L.* 62. Subobscuris conjecturis non est locus. Si apertissimae probationes deficiant, non legatum, non fideicommissum, non institutio valebit cit. *L.* 62.

Eminet jam sententia Marciani. Si quis Cajo leget, aut Cajum scribat heredem, eumque dicat fratrem, quum frater non sit, aut alia quavis nota designet, quae vera non est; valet legatum, institutio valet, si de eo sensit testator. Cui autem incumbit onus probationis, id in tertia parte prælectionis expendam.

Sententiae istius rationem hanc affert Florentinus in *L. si nominatim* §. 4. *h. tit.* his verbis, *nam demonstratio vice nominis fungitur*. Et vero quid interest, rem nomine an alia quivis nota demonstres? Florentino exploratius visum fuit, falsum nomen non obesse legato, aut institutioni, quam non obesse falsam demonstrationem: proinde quod falsum nomen non obesset, ex eo confecit, non itidem obesse falsam demonstrationem, quae vice nominis fungitur. Et sane de falso nomine exstat Gordiani rescriptum in *L.* 4. *C. de testam. In nomine*, inquit, *vel praenomine*, *seu cognomine*, *seu adgnomine testator erraverit*, *error hujusmodi nihil officit veritati*: quae verba recitavi, ut id in transitu monerem, labi eos, qui putant fuisse adgnomina veteribus inaudita. Magnis animis de hac re disputarunt Carolus Sigonius, et Franciscus Robertellus. Novissime de hac re aliquid etiam Fabrettus.

Jam vera ratio, cur nec falsum nomen, nec falsa demonstratio noceat, ea est, quam tradit Ulpianus in *L. ex facto* 35. *de her. inst.*, *In testamentis totum facit voluntas defuncti*. Legata, et hereditates argumenta sunt amoris, et honoris, unde heredes, et legatarii multis locis juris, quae congessit Gul. Fornerius *Select. lib.* 1. *c.* 19. dicuntur *amici*, *et honorati*: quo pertinet vetus inscriptio romana, *Pomponius Animetus fecit sibi*, *et suis*, et *libertis libertabusque*, *quos testamento honoravit*. Quis est autem, qui nesciat, quod eleganter et vere Ulpianus scribit in *L. D. pro socio*, *hereditatem*, *vel legatum ob meritum aliquod accedere*? Ecquis est, cui verisimile videatur, testatorem meriti loco habuisse heredis legatariive nomen, aliamve notam extrinsecus accedentem?

Hactenus captu et explicatu facilia tractavi. Nunc sequitur multo abstrusior disputatio.

K Sub

Sub titulo *D. de liberis et post.* est obscurissimus Pauli locus in *L. Titius* 25. §. 1., ad quem frustra accesserunt interpretes, et in quo explicando animum despondit vel ipse audacissimus A. Faber, quum libros scribebat *Conjecturarum*: et tamen adhibita ea juris definitione, falsam demonstrationem institutioni non obesse, quam tum ipse Faber adhibuit libros scribens *De erroribus Pragmaticorum*, facile explicabitur. Lucius Titius neptem habens ex filia praegnantem *suprema sua*, uti elegantissime Paulus, id est, testamentum ordinavit. Lucius Titius in Urbe; neptis ruri agebat. Eodem die, sed non eadem hora, avus testamentum condidit, et fuit neptis masculum enixa. Enixa haec fuit *coelo albescente*, inquit Paulus, vel, ut in Fl. Pandectis legitur eadem commutatione elementorum B et U, *alvescente*. Fecit ille testamentum *hora diei sexta*, hoc est, meridie, de qua temporis computatione pulcre A. Fabrotus *in Exercitatione De tempore humani partus*. Quo igitur tempore testamentum condebatur, partus jam erat ruri editus ex nepte; at vero id in Urbe ignorans L. Titius *heredem scripsit quod neptis in utero haberet*, et defunctus est. Quaesitum fuit de vi institutionis. Paulus respondit *institutionem jure factam videri*.

Audire mihi videor submurmurantem nescio quem. Ecquid difficultatis ea species habebat? Ecquid in ea institutione inesse poterat vitii?

Si nostris hisce temporibus eadem species incideret, certe nihil vitii inesset. Postumos etiam alienos, h. e. eos, qui non nascuntur sui, scribi heredes permisit nova Imp. Justiniani Constitutio, quam Codici repetitae praelectionis certe insertam imperiti librarii, quod esset Graece scripta, omiserunt, quamque meminit Tribonianus in §. 27. *inst. de leg.* At aevo tamen Pauli eos scribi heredes civile jus non patiebatur, teste vel ipso Triboniano *pr. tit. Inst. de bon. poss.* Nunc quis non videt, quam difficile sit Paulum intelligere respondentem, *institutionem jure factam videri?* In specie Pauli postumus erat omnino alienus, tanquam filius neptis ex filia: proinde eum institui heredem Leges vetabant.

Longum esset interpretum commenta in medium afferre. Periret mihi tempus, et gestit animus secundam ingredi praelectionis meae partem, antequam mihi hora inclametur.

Igitur adhibita, praeeunte A. Fabro cui me comitem addo, ea juris definitione, falsam demonstrationem non nocere institutioni, salva res est. Neptis albescente coelo fuerat masculum enixa. Testamentum conditum est hora diei sexta. Ergo tempore testamenti pronepos non erat postumus: erat ante horas aliquot natus. Ergo Leges

Leges de non instituendis postumis alienis prorsus cessabant. Id unum aliquid habebat difficultatis, quod testator neptem putans adhuc praegnantem, testamento heredem scripserat non pronepotem jam natum, sed *quod neptis in utero haberet*. Id vero quid est aliud, nisi falsa demonstratio? et falsam demonstrationem non nocere institutioni docet in textu, quem interpretor, Marcianus.

Quod de falsa demonstratione legatarii tradit Marcianus, idem jus est de falsa quavis demonstratione ipsius rei, quae legatur. Sexcenta sunt loca juris, quibus id expresse cavetur. Seligam locum unum, ad quem emendatrices manus admoverunt interpretes. Est is Ulpiani in *L. 1. §. ult. D. de dot. praeleg.* Maritus uxori legavit fundum Titianum adjecta ea demonstratione, *is enim fundus propter illam ad me pervenit*. At falsa erat ea demonstratio. Fundus ille ad virum pervenerat non *propter illam*. Et tamen eum *omnimodo deberi* Ulpianus respondit: et secundum ea, quae dicta sunt, rectissime. Rationem subdidit in haec verba, *Nam quidquid demonstratae rei additur satis demonstratae, frustra est*. Sensus est rem legatam satis fuisse demonstratam etiam non addita ea nota, *is enim fundus propter illam ad me pervenit*, forte quia alius non erat in hereditate viri fundus, qui diceretur Titianus, qualem fundum maritus legaverat: proinde alteram illam ejusdem fundi notam supervacuam esse. At quid monstri est illud, *Quidquid demonstratae rei additur satis demonstratae?* Jam dixerat Ulpianus, *quidquid demonstratae rei additur*. Quorsum igitur repetitio illa τὸ *demonstratae*? Et tamen sic habet Codex Florentinus, magnae aetatis et fidei liber. Locum istum Ulpiani Haloander aliique varie emendant: nemo ex alicujus antiqui codicis fide; omnes ex conjectura. Certe aliqua insedit macula loco Ulpiani: sed unus eam videtur mihi eluisse A. Schultingius in ejus Jurisconsulti *fragmenta tit.* 24. §. 19. Is verecunda emendatiuncula quo primum loco nunc legitur *demonstratae*, legit *demonstrandae*.

Sed est hic amovendus obex, quem Schultingius non praesensit. Si legamus, ut ipse mavult, *Quidquid demonstrandae rei additur satis demonstratae*, τὸ *demonstrandae rei* quis casus erit? aut a quo verbo pendet? et qui possunt cohaerere τὸ *demonstrandae*, quod futurum, ac τὸ *demonstratae*, quod tempus praeteritum spectat?

Videte, quid mihi ad emendationem Schultingii adstruendam venerit in mentem; τὸ *demonstrandae rei* scriptum puto more Graecorum; et accipio quasi scriptum, *demonstrandae rei gratia*. Ecce quam bene constet oratio Ulpiani. *Frustra est*, *quod de-*

monstrandae rei gratia additur rei satis demonstratae . Graecismos bene multos id genus deprehendit in libris veterum Jurisconsultorum , et maxime Ulpiani , vir Graece et Latine doctissimus A. Augustinus , congessitque in *Caput* 1. *lib.* 11. *Emendationum,* quibus graecismum , quem ego nunc deprehendo , addatis velim periculo meo.

Venio ad secundam partem meae praelectionis .

Haec deest.

CAPITA DUO XII TAB. A NONNULLIS CONFICTA.

In XII. Tab. de testamentaria hereditate scriptum est, *Paterfamilias uti legassit super pecunia tutelave rei suae ita jus esto.* De hereditate legitima continuo sequitur caput hoc , *At si intestato moritur*, *cui suus heres nec extabit*, *adgnatus proximus familiam habeto.* Hoc uno XII Tab. loco de successione sui heredis cavetur, atque ita , ut videatur magis in conditione positus , quam nominatim vocatus ad hereditatem . At vero non ambigere se Vinn. inquit in §. 1. *Inst. de hered. quae ab int.* initio proprium caput fuisse in iis Tabulis , quo patrefamilias intestato mortuo nominatim suo heredi delata hereditas fuit : idque inter duo illa , quae abscripsi , capita a Decemviris interjectum . Duo proponit is conjecturae suae argumenta . Alterum repetit ex §. 2. *Inst. de her. qual. et ex L. ut intestato* 3. *C. de suis et leg. lib. Tribonianus in d.* §. 2. suos heredes ideo dici *necessarios* ait , quia omnino sive velint , sive nolint, tam ab intestato , quam ex testamento *ex lege* XII. *Tab.* heredes fiunt . Porro Diocletianus , et Max. *in d. l.* 3. scribunt , *evidenter lege* XII. *Tab. caveri* , ut intestato defuncti filius , et ex alio filio praemortuo nepos, manentes in sacris, pariter succedant. Quod autem nunc neutrum extat usquam in iis Tabulis , proximum vero est , principio peculiare aliquod fuisse de ea re caput, quod aetatem non tulit . Alterum repetit ex iis verbis , *cui suus heres nec exstabit* , quasi non obscure obstendant, proxime praecessisse caput in eam sententiam , patri familias intestato mortuo suum primum loco heredem futurum. Quod argumentum , si quis adscribere se velit sententiae Vinnii , erit illi facillimum confirmare posteriore eo capite , quo de legitima agitur hereditate . Sequitur ibi , *Si adgnatus nec escit*, *gentilis familiam heres nancitor* : proxime ante praeeunt illa , *Adgnatus proximus familium habeto* .

Ego in contrarium nitor ; primum , quia si cum Vinnio fingas actum eo capite de legitima sui heredis successione , quam male adne-

adnecterentur illi initialia subsequentis capitis verba, *At si intestato moritur*. Certe haec praeclare demonstrant, eo, quod proxime antecedebat, capite de testamentaria cautum hereditate; deinde, quia si caput illud Tabulis suis inseruissent Decemviri, quod eo a testamentaria ad legitimam successionem transitus fieret, initium facere ejus capitis debuissent his omnino verbis, *At si intestato moritur*, aut saltem similibus, quae eodem redirent. Eccur autem sequentis capitis initio eadem verba inculcassent?

Jam lex XII. *Tab.* in *d.* §. 2., *ac d. l.* 3. non verba sunt legis, sed sententia, quam in vocabulo *suus heres* latescentem Prudentes aperuere. Apposite Ulpianus *l. de* V. S. *Verbum ex legibus sic accipiendum est*; *tum ex legum sententia*, *quam ex verbis*. Nihil autem fuisse de sui heredis successione verbis legis comprehensum praeter illud, *cui suus heres nec exstabit*, inficiabitur nemo, si cum *d. l.* 3. contulerit Caji locum apud *Auct. Collat. LL. Mosaic. tit.* 16. §. 2. Quam Imperatores, eam ipsam speciem pertractat Cajus. Habent illi. *Evidenter L.* XII. *Tab. cavet*. Cajus habet, *Sed alia fuit* (a) *juris interpretatio inter suos heredes*. Atque hanc interpretationem indigitant eae formulae, *naturali aequitate contingere*, *aequum esse*, *aequum videri*, *et placuisse*, quas adhibent *Ulp. l. intestati l.* §. *si filius* 4. *de suis et leg. et in Frag. tit.* 16. §. 2. *Cajus ibid.*, ac Tribonianus §. 6. *Inst. de hered. quae ab int.* illud idem agentes, qaod in *d. l.* 3. Imperatores. Vides novum hinc suppetere argumentum, quo caput a Vinnio Decemviralibus Tabulis affictum excludas.

Igitur satis habuere Decemviri, haud largi verborum, sui heredis mentionem injicere in eum modum. Sed non probo conjecturam Galvani de usuf. cap. 8., cui novissime subscriptum a Scultingio in Cajum lib. 2. Inst. tit. 8. pr. patrefamilias intestato mortuo L. XII. Tab. adgnatos vocasse ad hereditatem, non suos, in conditione tantum positos eo fine, ut intelligeretur, suis extantibus nihil opus lege esse, quasi jam domini extent, quemadmodum veris extantibus dominis nihil opus est lege. Ego nullum in ea conditione momentum positum, et secundum verborum juris proprietatem dici, suos ut ut adgnatis potiores Lege vocatos ad hereditatem, ajo Pauli testimonio lib. 4. sent. tit. 8. §. 3. ubi, *Intestatorum hereditas Lege* XII. *Tab. primum suis heredibus*, *deinde adgnatis deferebatur*.

In

(a) *Cit. loc.*

In L. 2. C. De usucap. pro herede.

Diocletianus, et Maximianus Maurinae rescripserunt in haec verba, *Nihil pro herede posse usucapi, suis heredibus existentibus, magis obtinuit cit. l.* . Interpretres Viglio antiquiores hanc Legi sententiam affingunt, suos heredes nihil posse usucapere pro herede. Sed nae illi longissime aberrant a verbis Legis, quae non negat pro herede usucapi a suis, sed, si sui existant, ab aliis. Quid quod jam prope explorati juris est, suos usucapere pro herede? id abunde demonstratum a Cujacio in L. 2. §. filium D. pro her., et Giphanio, ac Wisenbachio in d. l. 2. c.. Viglius in §. sui 2. de her. qual. Giphanius ibid., et alii satis multi Legem exponunt hoc sensu, eum, qui se ait pro herede possidere, si sui existant, usucapere non posse pro herede; ut enim pro herede usucapio procedat, verum esse titulum, hoc est, eum, qui pro herede possidet, re vera esse heredem, necesse est, L. 3. et 4. C. eod.: existentibus autem suis, vere heres esse nemo alius potest. l. 2. C. *unde liberi*. At ita nihil erat opus *suorum* meminisse Imperatores. Non suis solum, sed et exstraneis quibuslibet veris heredibus existentibus, alii, qui non est verus, haud procedere pro herede usucapionem constat: et generaliter quidem sunt scriptae LL. 3. et 4. C. eod. Aliquando sic fecit conjecturam (a) *rescripsisse* Imperatores secundum oblatam facti speciem, quo proponebatur, aliquem possedisse pro herede *suis heredibus existentibus*, idem quoque de aliis quibusque heredibus rescripturos. Verum, ne nunc maneam in ea opinione, facit verbum illud Impp. *magis obtinuit* mox expendendum.

Connanus lib. 1. Comm. cap. 5. n. 7. et Hotomanus in L. in suis 11. de lib. et post. impediri usumcapionem putant, non tam tituli, quam possessionis defectu. Possessionem in suis heredibus jure ipso continuari, uti dominium, ajunt (quod jam antea traditum ab Accursio, ac veterum plerisque) sicque quum possessio, quam licet naturaliter non adprehensam sui habent vi juris, omnem alterius possessionem praecedat, suis existentibus, nullum esse reliquum usucapioni pro herede locum. Verum nihil in jure absurdius, quam quod isti statuunt de possessionis continuatione. Cujacius in commentario, quem juvenis scripsit in L. 2. §. filium 2. D. pro her., hanc attulit Rescripti rationem, quod quum sui heredes retineant bona, non adquirant, eaque videantur jam retro obtinuisse, bona sint quasi viventis, qualia usucapi pro herede nullo modo possunt. Idem jam senior in tit. Cod. de usuc. pro

(a) *Cit. loc.*

pro her. sententiam variavit. *Extare*, et *Existere*, quae duo vocabula suorum heredum propria sunt, eo discerniculo interpretratus, ut exsistere dicantur, qui ipso jure ignorantes, et vero etiam inviti apparent heredes, licet beneficio Praetoris abstinuerint hereditate; Graeci enim existere vertunt ὑπάρχειν; exstare autem, qui se miscent bonis, sicque sunt re, non tantum nomine, heredes. Sane in l. si operarum 29. de oper. libert. *exstare heredem* omnino est se bonis miscere: contra in l. quum patronus 22. §. 1. eod. tit. vel solo nomine heredem esse: quo pacto is duo illa juris loca in speciem dissidentia perbelle componit: igitur suis heredibus existentibus, h. e. abstinentibus se, et adhuc tamen heredibus, nihil ab adgnatis pro herede usucapi posse ait: recte vero posse pro bonorum possessore; quod enim jure civili sui adhuc maneant heredes, jure Praetorio venire adgnatos necesse est. Mihi hac in re videtur Cujacius multo plus sapiisse juvenis quam senex. Et vero posteriorem ejus interpetrationem solide rejicit Faber n.16. hoc uno argumento, quod si suo herede existente usucapio procederet pro bonorum possessore, dominos duos eodem genere dominii adgnoscerent Imperatores, utrumque quiritarium; puta suum, licet abstinentem se, et possessorem bonorum, qui dominus quiritarius fit per usumcapionem: quo nihil fuisse in veteri juris prudentia absurdius, iam satis constat. Jam quid vetat, ne iis, quae Cujacio regerit Faber, addamus et nostra? Primum discrimen illud inter *existere*, et *exstare* perpetuum non esse aio; namque extare non eo sensu accipitur in verbis XII. Tab. *Cui suus heres nec extabit*; et in *L. qui in aliena* 6. §. *interdum* 5. *de adq. her. existere* et *exstare* sunt prorsus idem. Deinde quid Maurinae de jure suo consulentis intererat scire, num suis existentibus heredibus, pro herede, an pro bonorum possessore usucaperetur? Num jure usucaptum esset, an non, id vero ejus intererat scire. In titulo nihil erat positum emolumenti: totum in ipsa usucapione erat. Subtilia juris ad exacuendam ingenii aciem comparata in Scholis Commentariisque Jurisconsultorum pertractabantur: de controversiis in rem litigatorum institutis consulebantur Imperatores: quod ignorare non potest, qui in Pandectarum et Codicis lectione est vel mediocriter versatus.

Ecquae erit igitur sententia Imperatorum? Video ego me difficili in loco versari; conabor tamen aliquid. Tò *magis obtinuit*, indicio est mihi, da qua re Maurina consuluit Imperatores, de ea inter Jurisperitos non convenisse. Ulpianus in *l. fuit* 24 *de adq. her. Fuit quaestionis*, inquit, *et obtinuit*. Hermogenianus *in L. quum ex uno* 32. *de. O. et A. Post magnas varietates obtinuit.*

Ergo

Ergo id primum statuo, talem oportere speciem fingi, quae merito potuisset in quaestionem venire. Qua maxime caussa falsam pronuncio interpretationem Viglii, meamque de mentione suorum conjectationem; nam contra verum heredem nihil ab alio posse pro herede usucapi certum jus erat. Porro ea Rescripto Imperatorum notanda species est, ut vocabulum suorum non abundet. Id assequemur, si quis inveniatur casus, quo pro herede usucapio contra extraneum verum heredem procedat, non item contra suum. Suboluit id quidem Fabro n. 10., sed is tamen non reperit casum.

Nunc speciem ficturus illud praemoneo, quandoque pro herede usucapere, qui, quum heres non sit, putat se heredem, dum tamen re vera mortuus sit is, cujus non verus heres heredem se putat; est enim hoc perpetuum in jure, *opinione falsa mortis pro herede possessionem* (h.e. usucapionem) *procedere* non posse l. 3. C. eod., ea ratione, quod viventis nulla hereditas fit l. 1. de her. vend. l. hereditas de reg. jur. Jam qui se heredem putat, ita demum usucapit, *si justam caussam habeat existimandi se heredem*. Julianus in l. non solum 33. §. 1. de usuc. Regula est quidem juris, *errorem falsae caussae non parere usucapionem* §. 11. Inst. de usuc. tamen eam justus error interdum tuetur l. 2. §. si a pupillo 15. et §. seq. l. quod vulgo 11. D. pro her., et l. ult. §. 1. D. pro suo. Justi erroris exemplum esto, si quum ita persuasum vulgo sit, proximiorem adgnatum peregri mortuum, nemo ut sit, qui ambigat de ea re, remotior heredem se putet, et vulgo heres habeatur. Proximior hoc casu hereditatem quidem evincit, at remotior tamen ille rem alienam in hereditate inventam usucapit pro herede. Rem ita tradit Julianus, ut appareat nihil eam habuisse dubitationis. At vel aevo Juliani, vel aetate inter Julianum, atque Imperatores Diocl. et Max. media, vel ipsis Imperatorum temporibus, quaeri de eo coepit, num procederet etiam usucapio pro herede, si qua justa esset caussa existimandi, suum heredem non extare, qui vere extaret, et interea adgnatus proximus familiam nancisceretur. Me in hanc suspicionem adducunt τὸ *suis*, ac τὸ *obtinuit*, quae sunt in rescripto Imperatorum. Eadem nonnullis visa ratio est extraneorum, ac suorum, quod semper aeque justus esset error: contra videbatur plerisque, si extranei essent heredes, recte usucapi nihil posse: quod et magis obtinuit, et fuit tandem Imperatorum rescripto confirmatum. Jam vero sententiae, quae praevaluit, ea fortasse ratio fuit, quae Cujacio adhuc juveni jam venit in mentem, quod suis existentibus heredibus, nulla videatur hereditas esse, sed bona sint quasi viventis, qualia nequeunt usucapi pro herede, nec tanti esse possit vel justissimus

error

error, ut pro herede usucapionem tueatur, ubi fictione juris nulla hereditas est; uti eam falsa mortis opinio non tuetur d. l. 3. C. eod. Haec praeclare confirmat Pauli locus in l. in suis 11. *D. de lib. et post. In suis heredibus evidentius apparet, continuationem dominii eo rem perducere, ut nulla videatur hereditas fuisse*, quasi olim hi domini essent. Igitur, regulae loco habendum illud Juliani *in d. l.* 33. §. 1. *de usuc.*, *si justam caussam habuerit existimandi, se heredem, vel bonorum possessorem domino extitisse; fundum pro herede possidebit*: exceptionis jautem loco rescriptum Imperatorum *in d. l.* 2. *nihil pro herede posse usucapi, suis heredibus existentibus, magis obtinuit*. Conecturam hanc meam boni consulat bonus lector.

Verae L. Voconiae rationes ex duobus Gellii locis exsculptae.

Coercitas L. Voconia mulierum hereditates, tradunt Cicero *Lib. I. in Ver. cap.* 41. ne *de fin.* 11, 17. Auctor Livianae Epitomes *cap.* 41., et Augustinus *de Civ. Dei III*, 21.; at rationes tamen Legis non tradunt. Si extaret Oratio, qua L. Voconiam suasisse Catonem Censorium narrat Cicero *de senect. cap.* 5.; jam illae in vulgus paterent. Nunc, quoniam non extat, in eas inquirere pulcrum est. Hanc fuisse ejus Legis rationem, scribit Cujacius in Paulum *Sent. IV*, 8. 22., ne mulieres ditescerent, et elatae aequarent se viris. Proponit hanc alteram in §. 3. *Instit. de legit. adgn. sucess.*, ne bona per feminas e familia alio abirent. Utramque producit Hotomanus in *d.* §. 1., ac porro tertiam addit, quod propter rei militaris caussam multo major virorum, quam mulierum habenda ratio esset. Postremum hoc non reprehendo: duo illa nemo non videt, quanto probabilius edisserantur. Sed juvabit certam eis fidem facere ex vetere aliquo rerum Romanarum Scriptore. Gellius *capiti* 6. *Noct. lib. XVII.* fragmentum inserit Catonianae Orationis, *Principio urbis mulier magnam dotem attulit, tum magnam pecuniam recepit, quam in viri potestatem non committit: eam pecuniam viro mutuam dat: postea, ubi irata facta est, servum recepticium sectari atque flagitare virum jubet*. Servum receptitium interpretatur Gellius servum non doti datum, sed uxoris proprium, quod cum locuples uxor cum pecunia reliqua parapherna receperat, hoc est, retinuerat. Receptitium istum servum dominae suae obsequentem uxor viro irata apponit *flagitatorem*, idest, acrem, vehementem, clamosumque postulatorem: quod quum sit mulieris ad ferociam insolescentis exemplum,

 doce-

docemur, ea ratione auctorem Voconiae Catonem fuisse, ne feminae bonis auctae efferrent se se, ac viris aequarent se suis; vere enim dixit isthuc respiciens Martialis Epigr. VIII.,

Non aliter fiunt femina virque pares. Quod si experti didicerant Romani, bene dotatas uxores *oblatratrices*, ac *feroces* esse, ac *subservire sibi viros postulare*, uti Plautus ajebat, quid erat futurum, si alia etiam bona accederent doti? Idem Gellius *XV*, *I.*, *quid*, inquit, utilius *Plebiscito Voconio de coercendis mulierum hereditatibus? quid tam necessarium existimatum est propulsandae civium luxuriae, quam Licinia et Fannia, aliaeque item leges sumtuariae? omnia tamen haec obliterata et operta sunt civitatis opulentia quasi quibusdam fluctibus exaestuantis*. Voconiam civitatis opulentia obliteratam Gellius ait. Igitur vetus civitatis paupertas Legem suasit: paupertati autem erat ea Lege consulendum, quae bona e familiis exire per feminas non pateretur.

Cur Voconia Lex testamentaria tantum successione feminas excluserit, non item legitima.

Testamentariam fuisse L. Voconiam, omnia, quotquot extant de ea veterum testimonia, commonstrant. Cicero *Lib.* 1. *in Ver. cap.* 42. *Sanxit* (Voconius,) *nequis* (census) *heredem virginem neve mulierem faceret*. Idem *de fin. II*, 17. L. Voconiae sic meminit, ut inde appareat, ea Lege actum de non scribenda herede femina, ne filia quidem. Auctor Livianae Epitomes *Cap.* 41. Q. *Voconius* (b) *Saxa Legem tulit, ne quis heredem mulierem institueret*. Augustinus de Civit. Dei III, 21., *Lata etiam est L. Voconia, ne quis heredem feminam faceret, nec unicam filiam*. Scio non deesse, qui Voconiae Legi affingant caput, ne feminis ultra consanguineas legitima hereditas deferretur: Sed nae ii faciunt contra veterum scriptorum fidem, et nonnulla admittant, necesse est, quibus absurdius nihil. V. *Comm. nostr. in* §. 3. *Inst. de leg. adgn. succes.* Quae quum ita sint, non indigna gravi Jurisconsulto ea quaestio est, cur vetuerit ea Lex virginem, mali eremve ac vel unicam filiam heredem fieri; siverit vero filias, ceterasque feminas non e liberis solum, sed etiam adguatas, ad intestatorum venire successionem?

Fr. Balduinus *de L. Vocon.* sub finem inquit, licet Voconius nihil de legitimis successionibus rogavit, Prudentes tamen interpretatione sua rationem Legis eo produxisse, ut adgnatas feminas

(b) Vulgo perperam legitur *Volumnius*.

nas solis consanguineis exceptis ad successiones legitimas non admitterent: cujus rei testis est Paulus *Sent. IV*, 8. 22.: nec mirum videri, quod intestati patris hereditate non repellerent filias, quas institui heredes L. Voconia prohibebat; defendi enim id recte potest exemplo postumi alieni, quem legitimum heredem fieri obtinuit ex sententia Galli, jus tamen non erat heredem scribi, *L. à fratris* 127. *de leg.* 1. Verum ita Balduinus Voconiam L. veluti mancam atque imperfectam accusat; quod ego ferre nullo modo possum. Et sane quae rationes capere feminas ex testamento prohibuerunt, eaedem illae pati vix poterant, ut succederent ab intestato. Quin quum suprema hominum judicia sanctissima Romanis essent, multo videri facilius aequiusque debebat legitimas, quam testamentarias hereditates coercere. Ecquis persuadeat sibi, non Voconio, non Catoni, non alii isthaec in mentem venisse? Ergo scrupulum istum mihi ex animo exempturus omnes, quorum copia fuit, Voconiae interpretes perlegi: nemo unus rem attigit. Jac. Perizonii Dissertationem *de L. Voconia* summo studio perquisivi, sed ea hic ab omnibus quum publicis tum privatis amicorum Bibliothecis abest. Experiar igitur, quo mea possit industria eniti. Quae nota posset Voconio Catonive aspergi, si manca Lex esset, ea clueretur omnis, si adgnatas feminas ultra consanguineorum gradum jam ante annum U. DLXXXIV., in quem Voconia Lex incidit (a), legitima successione exclusas poneremus. Ita vero se rem habuisse probabile est, et meo quidem judicio ita se res habuit, nam Tribonianus §. 3. *Inst. de leg. adgn. succes.* inductum illud scribit media jurisprudentia, quam Lege XII. Tab. *juniorem* appellat. Vox autem *junior* magis est, ut aetatem significet, quae non longissime aberat ab anno CCCII., quo perlatae sunt LL. XII. Tab., quam aetatem anno DLXXXI. posteriorem. At enim Paulus *loc. cit.* scribit, *Jus civile*, hoc est, Prudentes interpretatione sua (b) feminas ultra consanguineas exclusisse *Voconiana ratione*, id est, rationem Voconiae secutus. At quis me vetat eam formulam perinde explicare, quasi scriptum esset, ea *ratione* quantum Voconia Lex feminas testamentaria etiam successione exclusit. His ita constitutis jam cuique in mentem et quasi in oculos incurrit ratio, cur a Voconio non fuerit de legitima successione cogitatum.

L 2 Ci-

(a) *V. Tullium de Senect. V.*, 14., *et Balduin. de L. Vocon. pr.*

(b) *V. Comm. nostr. in* §. 3. *Inst. de leg. adgn. succes.*

Ciceronis locus de Lege Voconia explicatus.

P. Sextilius *Rufus* (alias Fusus) a Q. Fadio Gallo scriptus heres id fuerat rogatus, ut omnis hereditas ad filiam perveniret. De ea re quum Sextilius ad amicos referret, adderetque etiam, se in L. Voconiam juratum contra eam facere non audere, nisi aliter amicis videretur; eorum, qui aderant, neminem censuisse inquit Cicero de Fin. II., 17. *plus Fadiae dandum, quam posset ad eam L. Voconia pervenire*. In hunc Tullii locum nemo est unus, quantum scio, qui sit aliquid commentatus; et is tamen locus interpretem desiderat. Sed facile est, eum interpretari ex Dion. *Lib. VI.* ubi vetitas ea lege feminas tradit *supra XXV. millia substantiae heredes scribi*, quae summa erat substantiae quadrans; census enim, de quo loquuta lex fuit, is dicebatur latinis, qui sestertium centum millia profitebatur, Asconio Pediano teste in lib. I. in Verr. cap. 41. Igitur Ciceronis sententia est, neminem censuisse plus quadrante Fadiae dandum. Addendus Cujacius de Augusto ex Dione ibid., et Quintil. declam. 264.

Ad Textum Papiniani in L. 9. §. 2. D. de supell. leg.

Creditor, cui argentum a debitore datum est pignori, supellectilem suam omnem legavit. Num supellectili sua omni legata acceptum argentum pignori continetur? et negat Papinianus in L. 9. §. 2. D. de supell. leg., *quia supellectilem suam legavit*. Addit, *utique si non in usu creditoris id argentum voluntate debitoris fuit*. Hic haerent viri clarissimi Gerardus Noodt et Joannes Van-de-Water; hanc enim esse ajunt Papiniani mentem, supellectili sua omni legata supellectilem pignori acceptam non contineri, nisi creditor ejus dominium voluntate debitoris sit consequutus. Usus autem pignoris dominium pignoris non est. Hinc Noodt Lib. I. Obs. cap. 10. pro iis, *utique si non in usu creditoris*, legit, *si non juris creditoris*. Water autem lib. I. Obs. cap. 10. Papiniani locum abs Triboniano interpolatum putat; ait vero, scripsisse Papinianum, *utique si non fiduciae creditori*. Erat fiducia, quum res aliqua creditori mancipabatur, aut in jure cedebatur eo pacto, ut exsoluta pecunia res eadem debitori remanciparetur a creditore, de qua Isid. lib. I. Orig. c. 25. Cujacius ad Paulum lib. 2. Sent. tit. 13. Quoniam igitur contracta fiducia res in creditoris dominium transibat, recte potuit in specie Papiniani argentum pignori datum a creditore legari. At Trib., quoniam fiducia sublata est per Justinianum, fiducias

ciae nomen ex Papiniani verbis erasit, ac rem prorsus alienam in textum intrusit.

Ego vero, si quid sentio, nihil video apud Papinianum, quod peritum juris interpretem remoretur. Quod quaeritur id est, num supellectilis meae nomine aliena quoque supellex veniat, cujus tantum usum habeo? Et ipse quidem ajo; supellex enim usu, non proprietate definitur. Apposite Alphenus in lib. 6. h. t. *supellectilis*, inquit *eas esse res puta, quae ad usum communem patrisfam. paratae essent*. In eamdemque sententiam Tubero apud Celsum in l. 7. eod. *Instrumentum quoddam patrisfam. rerum ad quotidianum usum paraturum*. Merito igitur Papin. respondet, supellectili sua omni legata à creditore, argentum pignori acceptum contineri, si in usu ejus voluntate debitoris fuerit, licet enim alienum sit argentum, hoc tamen ipsum sua supellex est, quoniam supellex usu definitur. Nec quidquam obturbat pronomen *suo*; nam licet plerumque ad proprietatem referatur L. 49. §. 1. D. de R. U. L. 71. 72. et 73. de leg. 3., quandoque refertur ad usum. Apposite Ulp. in L. 25. §. 6. D. de Leg. 3. *si quis*, inquit . . . *habuit*.

Ad textum Pauli Lib. 5. Sent. tit. 3. §. 5.

Ait Paulus, *Fures vel captores balnearum plerunque in metallum, aut in opus publicum damnantur*. Tum subdit: *Nonnumquam pro frequentia admissorum judicantis sententia temperatur*. Mendi aliquid in postrema haec Pauli verba librariorum vitio irrepsisse, suspicatur Joan. Water lib. 1. obs. c. 13., non enim e re publica videtur esse, asperitatem poenae exemplorum frequentia, et criminum emollire, *immo nonnunquam evenit, ut aliquorum maleficiorum supplicia exacerbentur, quoties nimirum multis personis grassantibus exemplo opus sit*, ut bene Saturninus in L. 16. §. 10. D. de poen., et consonat Ulp. in L. 1. D. de Abigeis, ibi, *Abigei puniuntur durissime non ubique, sed ubi frequentius est id genus maleficii*. Ad amovendam hanc difficultatem sic Pauli textum emendat vir cl.. Nonnunquam pro infrequentia admissorum judicantis sententia temperatur. Sed nihil caussae est, cur is ad Pauli textum emendatrices manus admoveat; praepositio enim illa *pro*, non accipitur, ut ipse accipit, pro *ob* vel *propter*, sed pro *juxta*, *secundum*. Atque ejus praepositionis apud Paulum ea vis est, ut infrequentiam potius, i.e. *minorem frequentiam*, quam *frequentiam* denotet. Ita igitur sine ulla emendatione Pauli textus explicatur.

Ad

Ad Pomponi textum in L. 2. §. placuit de Orig. Jur.

Ait Pomponius, *Placuit publica auctoritate decem constitui viros, per quos peterentur leges a Graecis civitatibus, et civitas fundaretur legibus*. At Livius, et alii non *decem*, sed *tres* dumtaxat viros in Graeciam legatos ad exscribendas leges testantur. Multi, ut Livium, et Pomponium dissidentes componant, constitutos quidem ajunt *decem*, sed tres ex decem missos in Graeciam. Fabulae. Livius, et alii passim nonnisi post reditum legatorum decemviros memorant. Cujacius ait Pomponium compendio studuisse: quod et sensisse videtur Tatius, qui τὸ *peterentur* idem sonare ait, atque haec *petitae*, *et allatae scriberentur*, Amplissimus Bynk., ut se ex his angustiis expediat, Pomponii verba sic trajicit, *Placuit, publica auctoritate* peterentur leges a Graecis civitatibus, et decem constitui viros, per quos Civitas fundaretur. Sed praeterquamquod haec verborum trajectio divinatoria prorsus est, ea recti sermonis ratio, mea quidem sententia, non patitur; et voluissem profecto, ut vir clar. unum quoddam latini auctoris testimonium in eam rem laudasset. Quid fiet igitur Pomponio? In his angustiis satius est confugere ad manuscriptum codicem, ubi deest vox *decem*. Hoc posito en igitur amotam difficultatem; tresviri fuerunt ad petendas leges Athenas missi, ut ait Livius, triumviris autem illis septemviri additi.

Ad L. non exigimus 2. pr. D. Si quis caut. in jud. sistent. caus. fact.

In jus vocatus dimittitur, *si dum in jus venitur, de re transactum fuerit*, ait Cajus in *l. neque impuberes* 27. §. *qui in jus* 2. de in jus voc. Idem habet Ulp. in l. non exigimus 2. pr. D. si quis caution. in judic. sistend. caus. ibi, *Non exigimus reum judicio sisti, si de negotio, propter quod judicio sisti promiserit, fuerit transactum*: addit tamen, *sed hoc ita, si prius id negotium transactum fuerit, quam sisti oporteret*. Ita in Florentinis Pandectis. Jam quid hoc monstri est? Certe Cajus diserte ait in cit. l. 27. tunc reum dimitti, *cum transactum fuerit*, nempe cum transactio praecedit: idque autem non obscure idem Ulp. ibidem ostendit iis verbis, *Ceterum si postea transactum est, exceptio doli opponi debet*. Duas igitur species tractat Ulp., unam cum antequam dies veniret, qua die in jus vocatus sistere in judicium deberet, negotium transactum est, aitque in hac specie, reum ipso jure tutum esse ibi, *non exigimus reum judicio sisti*. Alteram, cum postea-

quam

quam sisti oporteret, transactio facta est, atque teneri quidem reum in judicium venire, at proposita in actorem doli mali exceptone liberari: ibi, *ceterum si postea transactum est, exceptio doli (mali) opponi debet*. Cujacius ad amovendam difficultatem ex Florentino Codice negantem particulam tradit, legitque, *sed hoc ita, si prius id negotium transactum sit, quam sisti oporteret*. Atque hanc lectionem confirmat editio Roberti Stephani Par. 1527., ac veteres nonnulli Codices, ipse et vel manuscriptus Bynkersoechii Codex, ut ipsemet ingenue fatetur.

Ad L. 35., §. *ult. D, de U. O.*

Ait Jurisconsultus, *si in locando conducendo, vendendo emendo ad interrogationem quis non responderit, si tamen consentiat in id quod responsum est, valet, quod actum est: quia hi contractus non tam verbis, quam consensu confirmantur*. Verba illa, *si tamen consentitur in id, quod responsum est, valet quod actum est*, non satis integrum habere sensum visa sunt nonnullis; sententia enim Jurisconsulti haec est, si consentiatur in id, quod propositum est, valere, quod actum est, etsi minus apte responsum sit. Hinc Franciscus Joannettus Res. Jur. lib. sing. c. 14. et post eum Jacobus Gallus Ass. LL. p. 110. 112. negatione in textum intrusa legunt, *quod responsum non est*. Contra nihil esse in textu Pauli mutandum ajunt Joan. Robert. lib. I. recept. lect. c. 4., et Donell. comm. ad h. l. Sed nec vulgata jam, et satis recepta lectio, nec Joannetti et Galli emendatio placet Bynkershoekio lib. 3. Obs. c. 5. Is igitur sic verba transponit, *si tamen* consentitur in id . . . *confirmantur*. Verum ego lectionem ubique constantem servo, nec satis video, cur ab ea recedat vir cl. At enim, inquit, ea verba, *si tamen consentitur* non ad stipulatoris, sed ad promissoris consensum referri, nam de eo proxime Paulus egit, qui ad interrogationem stipulatoris non respondit (quod et idem Joannettus affirmat) ac proinde nec si communis lectio, nec si Joannetti et Galli emendatio retineatur, Pauli sententia consistit. Sed quis vetat, quominus ea verba, *si tamen consentitur* non promissoris, sed stipulatoris consensum spectent? Equidem ea verba stipulatoris consensum spectare ajo hoc sensu; locatio conductio, venditio emtio, ceterique contractus, qui consensu perficiuntur, si per stipulationem celebrentur, non usqueque stipulationum solemnia requirunt; adeoque licet promissor minus congrue ad interrogationem stipulatoris responderit, si tamen stipulator in id consentiat, quod a promissore, etsi minus apte responsum est, valet quod actum est. En nunc

nunc verba Pauli: *Si in locando, conducendo, vendendo, emendo ad interrogationem quis non responderit (apte) si tamen consentitur* (supple a stipulatore) *in id quod responsum est* (supple, minus congrue a promissore) *valet quod actum est, quia hi contractus non tam verbis quam consensu confirmantur.*

Ad L. Clodius 97. D. de adquir. hered.

Ait Paulus, *Clodius Clodianus facto prius testamento postea eumdem heredem in alio testamento inutiliter facto instituerat. Scriptus heres cum posterius putaret valere, ex eo adire hereditatem voluit: sed hoc postea inutile repertum est. Papinianus putabat repudiasse eum ex priore hereditatem, ex posteriore autem non posse adire. Dicebam non repudiare eum, qui putaret posterius valere. Pronunciavit Clodianum intestatum decessisse.* De hac varia mens fuit, discorsque auctorum, dum alii Pauli sententiam nimis sollicite venerantur, alii nimis abjecte et perdite negligunt. Ego ne rem verbis distraham, legis vim habere Pauli sententiam existimo; et enim vero magna est eorum vis, qui stant pro Paulo. Accursius post ea verba, *Papinianus putabat*, notat, sed male, post ea Pauli, *dicebam*, et bene. Apposite Faber, Conject. lib. 6. cap. 19., *quamvis Clodianum intestatum decessisse secundum Papiniani sententiam Judex pronunciavit, ut Paulus; recte tamen interpretes omnes sentiunt, qui Pauli opinionem veriorem esse defendunt.* Vox τὸ *omnes*, ostendit interpretes, explosa prorsus Papiniani sententia, secum illam Pauli habuisse. Ad rem quoque Entuem. c. 81. de Pauli loco ait, *magis est, ut putem, isthic Pauli sententiam admittendam, quae humanior est, licet subtilitas juris refragari videtur.* Bene et Duareni verba in tit. D. de adquir. vel omittend. hered. cap. 9. *Existimo sequendam esse sententiam Pauli ex voluntate Justiniani compositoris horum librorum. Quum hoc ex libris Pauli sumptum sit a Justiniano, et in hunc locum translatum, ex hoc apparet, ei placuisse sententiam Pauli. Nec dubia est sententia Pauli, quum dicit, dicebam, et alia hic continent veluti historiam quamdam. Sed quid sentiat, exprimit his verbis, quum ait dicebam, et quod hic scriptum est attribuendum est Justiniano, et sic accipiendum est, ac si Justinianus ipse loqueretur.* Praetermitto Cujacium aliosque omnes. Ceterum, si quid afferri potest de isto dissidio, dicendum Paulum privatum respexisse commodum, Papinianum autem non privatum, sed publicum; jusque strictum.

JOSEPHUS PASCHALIS CYRILLUS
EMMANUELI DUNIO J. C.
S. P. D.

